



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitis Aqvilonia seu Vitæ Sanctorvm Qvi Scandinaviam
Magnam Arctoi Orbis Peninsvlam Ac præsertim Regna
Gothorum Sueonumq[ue] olim rebus gestis illustrarunt**

Vastovius, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXIII.

Epistolæ Svmmorvm Pontificvm Regibvs, Dvcibvs, Archiepiscopis,
Episcopis Ac Vniverso Clero Regnorum Suetiæ ac Gothiæ continuata
temporum serie datæ; quæ Veterem Romano-Catholicam eorundem
Regnorum ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38534

EPISTOLÆ SUM-
MORVM PONTIFICVM
REGIBVS, DVCIBVS, ARCHIEPISCO-
PIS, EPISCOPIS AC VNIVERSO CLERO REGNO-
rum Suetiæ ac Gothiæ continuata temporum serie data; quæ Veterem Ro-
mano-Catholicam eorundem Regnorum populorumq; fidem,
atque erga Sedem Apostolicam obedientiam
præclare illustrent;

NUNC PRIMVM TYPIS EDITÆ.

GREGORIVS PAPA VII. GLORIOSO
SVEONVM REGI, SALVTEM ET
Apostolicam benedictionem.

Anno Do-
mini 1080.



QVONIAM Regni tui terram quosdam Sacri verbi ministros fuisse ingressos
audiuimus, nouerit Excellentia tua nos in Domino multum letari: deinceps
quoq; de salutis vestre reparatione plurimum spei in dubitanter habere. Galli-
cana siquidem Ecclesia non vos alienis documentis instruxit, sed quod de the-
sauris matris sue S. Rom. Ecclesia accepit, salubri vobis eruditione contradi-
dit. Quapropter ut Christiana religionis & doctrina gratiam obtineatis & he-
riorem, volumus celsitudinem tuam aliquem vel Episcopum, vel idoneum clericum ad Apo-
stolicam Sedem dirigere, qui & terræ vestre habitudines, gentisq; mores nobis suggerere, & Apo-
stolica mandata, de cunctis penitus instructus, ad vos certius queat eferre. Interim vico mone-
mus, ut prudentia tua commissum sibi Regnum in concordia iustitiæ, custodia dirigat, atq; dispo-
nat, ac ita circa subiectos pacis iura & aequitatis discretionem seruare inter cetera virtutum stu-
dia satagat, quatenus per temporalis regimini sollicitudinem, mereatur aeterni percipere securi-
tatem, & cum iustis vocem totius iucunditatis plenam, in extremo examine digne possit audi-
re: Venite Benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.
Dat. IV. Non. Octob.

GREGORIVS PAPA VII. GOTHORVM GLO-
RIOSIS REGIBVS L. ET A. AC POPVLIS SALV-
tem & Apostolicam benedictionem.

FRATER noster R. Episcopus vester, ad Apostolorum limina veniens, suggestit nobis de no-
ua gentis vestre conuersione, scilicet qualiter relicto gentilitatis errore ad Christiana fidei ve-
ritatem peruenerit. Vnde plurimum in Domino letati, miseratori omnium intimo corde gratias
agimus, qui mentes vestras lumine suo visitare, & de tenebris ad lucem, de morte ad vitam di-
gnatus est vos aeterna sua benignitate reducere. Simul etiam ipsius ineffabilem misericordiam de-
precati sumus, assidueq; postulare optamus, ut vos tam fidei gratia, quam bonorum operum fru-
ctibus, & in hac vita vigere, & in futura Sanctorum catibus faciat annumerari. Proinde Chris-
tissimi filij, auctoritate S. R. E. vice beatorum Apostolorum Petri & Pauli, nobis, licet indignis,
concessa, vos admonemus ut huius fugitiua vitæ incertitudinem, ac temporalium rerum, & gau-
diorum instabilitatem perpendentes, contemere; & ad illa, quæ sine fine mansura sunt, quaque
humani sensus, ac desiderij angustias amplitudine sua excedunt, memineritis actem mentis sem-
per extendere: concordiam & dilectionem studeatis ad inuicem indeficienter habere; Ecclesiis
honorem, pauperibus & afflictis compassionem; Sacerdotibus, præcipueq; Episcopis, reueren-
tiam ac

tiam ac obedientiam, quasi patribus procuretis impendere: nec non & decimas, qua ad usum tam ipsorum, quam Ecclesiarum & pauperum proficiant, dare, totique regno indicare. Quod quidem nulli debet graue videri, pro meliori parte, videlicet semper victura anima, quamque decimam Deo offerre, cum pro morituro corpore plurima gentes coniugibus suis tertiam rerum legibus compellantur exolvere. Præterea ad hoc summis animi viribus entimini, ut qui velut in sine orbis, ita & secularum, ad laborandum in vineam introistis Dominicam, inter primos remunerandi, eundem denariū hora undecima operatores percipere debeatis. Agite etiam, ut quemadmodum de præcessoris vestri laudabili fama valde sumus gauisi, ita quoque studiorum, probitatumque vestrarum opinio nos de se, sicut optamus, lætificet. Quia vero nouiter ad Christum conuersos, nondum Christiana fidei & religionis doctrinam sufficienter vos sumpsisse putamus, volumus, ut frequenter ad hanc sedem clericos vestros mittatis, talesque personas prouideatis ad nos destinare, qua & S. Romane Ecclesie moribus plenius instrui, & instructa valeant ad vos docte & salubriter, qua sunt agenda referre. Datum Roma, &c.

ALEXANDER PAPA III. REGIBVS ET
PRINCIPIBVS, ET ALIIS CHRISTI FIDELIBVS
per Regna Sueonum, Gothorum, Danorum, & Nor-
uegiensium constitutis.

NON parum animus noster affligitur, & amaritudine non modica & dolore torquetur, cum feritatem Estonum & aliorum paganorum illarum partium aduersus Dei fideles, & Christiane fidei cultores grauius insurgere & immaniter debachari audimus, & Christiani nominis impugnare virtutē. Verum tamen laudamus & benedicimus Dominum, quod vos in fide Catholica, & deuotione sacrosanctæ Romane Ecclesie, qua omnium Ecclesiarum caput est, & magistra à Domino constituta, super omnes alias Ecclesias cælesti priuilegio obtinet principatum, immobili firmitate persistitis, & Christiane religionis vinculum & unitatem seruat. Unde quia expedit officio nostro, ea qua ad corroboratorem fidei & animarum vestrarum noscuntur pertinere salutem, vobis sollicita exhortatione suggerere, & studiosius suadere, vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, quatenus diuino cului intendere, misericordiam & iustitiam & iudicium diligere, à rapinis & iniquis operibus abstinere, d. uota Deo & accepta obsequia impendere, prædictæ sacrosanctæ Romane Ecclesie tanquam matri & magistræ vestræ, debitum honorem & reuerentiam exhibere, Episcopis, Sacerdotibus & aliis prælatis vestris humiliter obedire, & eis decimas primitias & oblationes, & alias iustitias suas reddere, & ipsos tanquam patres & pastores animarum vestrarum honorare modis omnibus studeatis, & iura eorum defendere, manu tenere propensius, & conseruare curetis, & armis cælestibus, præmuniti, & Apostolicis exhortationibus confirmati ad defendendam Christiana fidei veritatem, spiritu fortitudinis accingamini, taliter in brachio forti ad propagandam Christiani nominis religionem intendentes, ut victoriam de inimicis possitis consequi, & coronam iustitiae, qua vobis reposita est, patrante Domino, adipisci. Nos enim eis, qui aduersus saepe dictos paganos potenter & magnanimiter decertauerint, de peccatis suis, de quibus confessi fuerint & penitentiam acceperint, remissionem vnus anni, confisi de misericordia Dei, & meritis Apostolorum Petri & Pauli, concedimus, sicut his qui sepulchrum Dominicum visitant concedere consueuimus. Illis autem, qui in conflictu illo decesserint, omnium suorum, si penitentiam acceperint, remissionem indulgemus peccatorum. Datum Tusculani III. Idus Septembris.

Anno Do-
mini 1160.

ALEXAN-

ALEXANDER PAPA III.
STEPHANO ARCHIEPISCOPO
Vpsalensi & suffraganeis eius.

Ezech. 3. 17.

VICE beati Petri Apostolorum principis, largiente Deo & Domino nostro, qui ait, Speculatorem dedi te domui Israel, super gentes & regna, licet immeriti, in Apostolica sedis specula constituti, pontificalis officij debito pro vniuersis compellimur sollicitudinem gerere, & antiquo hosti, qui tanquam fauissimus leo, circuit querens quem deuoret, pastoralis prouidentia obuiare, ne gregem Dominicum inuadat, & duce sis cum uisitorum moribus laceret. Inde est quod uehementi cor nostrum doloris pulsatur stimulo, iudito quod in partibus uestris in tantum libido crudelis & turpis excreuerit, ut quaedam mulieres proles sua procurant inuenerunt, earumq; corruptores tam horrendo, & detestabili facinori non solum consentire, uerum etiam illud etiam persuadere praesumant, & alii incautus conuentione plerique cum iumentis abominanda se pollutione commaculant. Quae quantum sint graua & creatori nostro penitus inimica, ipsa scelus atrocitas satis demonstrat, quam nec audientium aures sine ingenti possunt horrore percipere. Si enim qui iactato in terram semine prolem nolebat ex uxore suscipere, percussus a Domino testamenti ueteris serie dinoscitur, qua pena feriendus esse monstratur, qui natum proprium non abhorret occidere, & mauult interire quam uinere: Cuius utique criminis pena illud etiam persuadentes uel consentientes inuolui beatus Augustinus ostendit dicens. Se periculose decipiunt, qui existimant eos tantum homicidas existeret qui manibus hominem occidunt, & non potius eos, per

Ioan. 18. 31.

Ioann. 19. 6.

quorum consilium, & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur. Nam Iudei Dominum nequaquam propriis manibus interfecerunt, sicut scriptum est: Nobis non licet interficere quenquam. Sed tamen illis mors Domini imputatur, quia ipse eum lingua interfecerunt dicentes: Crucifige, crucifige eum. Incestum uero quantum sacri abhorreant Canones, concilium ille de se demonstrat. Cum his inquit, qui incestus se pollutione commaculant, quamdiu in isto detestando & illicito carnis contubernio perseuerant, nec cibum sumere ulli Christianorum, sicut Apostolus iussit, licebit. Porro scelus cum iumentis coeuntium quanta sit anima uersione plectendum, legislator Moyses declarat, cum etiam uisa interfici animalia iubet, quae tali contaminata flagitio indignam refutant facti memoriam. Quia igitur abominabilem horum excessuum praesumptione seueras fati districtione congruit insequi, praedictos propterea proles necatores, & tam ipsam facinus persuadentes, quam consentientes, seu quoslibet parricidas, aut cum matre, filia, et in sobrina, uel nepte agentes, quam cum iumentis coeuntes, aetiori poenitentiae iugo curetis compescere, & nisi senio confecti, uel corporis fuerint debilitate, seu egestate oppressi, eis ad Sedem Apostolicam compellatis uenire, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli limina uisitare, ut in sudore uultus sui, & uiarum labore, superni iudicis iram euadere, & ipsius misericordiam ualeant inuenire. Ad hac qui dormiendo non uoluntate, sed casu filios suos oppressisse inueniuntur, triennio, si iidem filij fuerint baptizati, si uero absque baptismo decesserint, quinquennio poenitentiae disciplinis subiaceant. Sacerdotes quos ab his conuenit studiosius praecauere, officij sui perpetua executione priuentur. Verum si qui parentum absentes fuerint, quando eorum filij suffocantur, aut si id sub aliena custodia contigerit, extra culpam erunt, sit tamen eos non furiosos, sed congruenti custodia ipsos se credide int, tradidisse.

Præterea non sine cordis amaritudine quosdam Sacerdotes contra Apostolicas institutiones, cum sicca fece uini, uel cum micis panis uini intinctis missam celebrare audiuimus: & fideles laicos non Christiano more, absque Sacerdotali benedictione & missa matrimonium contrahere. Unde illicita saepe contingit fieri coniugia, & inter legitimas personas diuortium interuenire. Sane cum omne crimen atq; peccatum oblati Deo sacrificij deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur quando in ipsa sacrificij oblatione erratur? Cum enim magister ueritatis discipulis suis sacramentum commendaret nostra salutis, non siccam facem uini, non micam panis uino intinctas accepit, sed panem & calicem & benedicens dedit d. s. ip. l. s. suis.

Quia

Quia igitur secus agere Evangelica & Apostolica doctrina contrarium & consuetudini Ecclesiastica penitus est adversum, Apostolica prohibemus auctoritate, ut cum sicca face vini, vel cum micis panis vino intinctis, vel alio modo quam Dominus instituit, nullus de cetero sacrificare attemptet: sed secundum formam Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam vos in omnibus imitari oportet, solum panem & vinum aqua mixtum in sacrificio corporis & sanguinis Domini offeratis. Ceterum clandestina & absque sacerdotali benedictione non debere contrahi coniugia, aut nisi inter legitimas personas, quæ infra septimum gradum nulla consanguinitatis linea coniungantur, nec contracta nisi canonice & consensu Episcopi dissolui, multorum sanctorum Patrum declarat auctoritas. Vos itaque muniti Sanctorum Patrum Sanctionibus & Ecclesiasticis institutis, hæc quæ dicta sunt diligenter servate, & ab alijs præcipite inviolabiliter observari, dispensationis moderamine utentes, ut qui in quinto, vel quarto gradu coniuncti sunt, eos non separetis, sed ne amplius taliter coniungantur, pontificali auctoritate & districtione prohibeatis. Datum Tusculani. V. Idus Septembris.

ALEXANDER PAPA III. VPSALENSI
ARCHIEPISCOPO, ET VNIVERSIS SVF-

fraganeis eius, tam in Suecia, quam in Gothia constitutis.

CONSTITVTIA Domino, licet insufficientibus meritis, super gentes & regna, ex iniuncta nobis administrationis officio debitoque compellimur actem nostræ considerationis ad vniuersum commissi gregis corpus extendere, atque omnium fidelium corda institutionis Apostolicæ ac doctrinæ salutaris imbri perfundere: ut sicut in omnem terram exiit sonus Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum: ita quoque nos, qui eorum cathedra præsidemus, qui eis non in vitæ merito, non in operum sanctitate, sed in pastoralis dignitate & cura successimus, verbum salutis, Evangelium Christianæ atque catholice veritatis annunciemus his qui longe, & his qui prope, nomen Apostolicum non inane neque nudum & in sola voce gerentes, sed in executione officij & veritate operis in quantum nobis Deus dederit, adimplem. Audiuimus enim & audientes non potuimus non dolere, quod apud vos tam in Suecia videlicet quam in Gothia ex nimia & peruersa non libertate, sed abusione potius & insolentia laicorum, consuetudo pessima & omnino desestabilis inoleuit: ex qua etiam multa illi cita prouenerunt, & mala non solum enormia, verum etiam intolerabilia pullularunt. Ipsi enim vobis inconsultis, sicut dicitur aut contemptis, concedunt & conferunt Ecclesias, quibus volunt: omnia simoniace siue per pecuniam, siue per priuatam gratiam aut odium agentes. Ex hoc autem multa dicuntur tam ipso actu quam exemplonecuius & perniciosacontingere. Quilibet enim & vnde cing, Sacerdos adueniens, licet ordinationis suæ nullum habeat testimonium, solo mandato seu nutu etiam Laicorum, diuina in salutis eorum suæque periculum celebrare præsumit. Vade non nunquam euenit, ut monachi fugitiui vel homicidæ, seu quibuslibet irretiti & notati sceleribus, aut in gradum Sacerdotij non promori, sacerdotio fungi nefaria nimis & damnabili præsumptione non metuant. Quilibet vero vel omnino carens Ecclesia, vel pauperem habens, & ditiozem ambiens, potentioribus de Parochia, data vel promissa pecunia alium non erutecit tam impudenter, quam illicite supplantare. Accedit ad hæc, quod clerici, siue ipsi aduersus laicos, siue laici aduersus eos litigantes experiri voluerint, laicorum iudicia subire, & secundum ipsorum instituta siue leges agere, vel defendere se coguntur. Nec solum inferioris ordinis clerici talibus iniuriis fatigantur: verum etiam vos ipsi, si iustitiæ rigorem zelo Dei succenssi aliquando exercetis, aliquam contra vos causam inobediens gregis inuidia machinante, vel ad indigni ferri examen, vel ad aliquod æque prohibitum & execrabile iudicium pronocamini: nulla Canonibus qui id prohibent, seu pontificali dignitati exhibitæ reuerentia vel honore. Ad augmentum vero summamque malorum, clerici passim in eodem regno impune caduntur, quandoque etiam occiduntur. Et quidam grauius ista, nec professionis opera Christiana, sed inimici potius reuerentia reputanda.

o Ad qua

Esa. 58. 1.
Ezech. 3. 8.

Ad que radicitus euellenda, & de medio vestrum penitus extirpanda, tanto scrius vos decet & oportet insurgere, quanto magis desides prelatos negligentesque respiciunt vitii subditorum, & eorum culpe crimen adscribitur, quod ab his quibus president, & pro quibus etiam reddiuri sunt in extremo examine rationem, tam frequenter quam licenter & impune committitur, maxime cum per Prophetam dicatur, Clama ne cesses annuncia populo meo scelera eorum & alibi. Nisi annuncianeris iniquo iniquitatem suam, sanguinem eius de manu tua requiram: Et in Canonibus Sacris, quos prudentiam vestram ignorare non expedit, scriptum legatur, Negligere, cum possis, perturbare peruersos, nihil est aliud quam fouere: nec caret serupulo societatis occulta, qui manifesto facinorosi sunt obuiare. Ex eo autem quod peccata ex nimia & longaua licentia in consuetudinem iam venerunt, cum sit, iuxta quedam Philosophum, infelicitas consummata, & vix videtur locus esse remedio, ubi que fuerunt vitia mores sunt, & iuxta Euangelium, qui mortuus fuerat in peccato iam fateri: multo maiori opus est ad suscitandum cum Domino mortuum, non sine lacrymis & compassione, conamine, ne desperentur, sicut qua triuannus in monumento, quibus potest inuocato Dei nomine cum ipsius adiutorio subueniri. Vt ergo etiam in eis glorificetur Deus, & sapientia honorificetur a filijs suis, caritatem Moysi pro populo Dominum obsecrantis, zelum Phinees vindicantis, contritionem Dauid orantis, misericordiam Iesu Christi super Hierusalem sientis, & pro Lazaro lacrymantis assumite; & habentes secundum Apostolum sicutum Fidei, lorica m Iustitia, & galeam spem salutis, accingimini armatura Dei, & pugnite cum antiquo serpente, cum de obsessis per inhabitantia peccata corporibus expellentes, & diripientes vniuersa, in quibus habet fiduciam: eos quos domum sibi facere nititur, cum gratia celestis auxilio, a vitiorum soratibus emundantes, ut domus Dei templum videlicet Domini Sanctum quod estis vos, dici ac fieri mereantur. Nec vos vllus terror ab officij pastoralis executione retardet, recolentes & non tantum verbo, sed opere profitentes, quod ille summus & primus pastor docuisse legitur, & fecisse. Bonus inquit pastor animam suam ponit pro ouibus suis. Et quoniam videntur per errorem, & tam diuini quam humani iuris ignorantiam, apud vos inoleuisse mali, qua diximus, & a laicis tanquam licita impune haecenus usurpata, Sanctorum Patrum statutis tanquam armis videntes, ipsis inniti debetis, atque ea & vos cum eis his que illicite committuntur opponere, ut ex eorum scientia & auctoritate dispareant, qua per abusionem nimiam & ignorantiam succurrunt. Sane laicos Ecclesias, vel Ecclesiastica beneficia dignitateque concedere, seu de ipsis vlla ratione disponere, sanctorum Patrum ad instar sacrilegij prohibent instituta. Clericos autem, qui ab eis, vel per eos dato precio, sine gratis, Ecclesiam, vel inuestituram Ecclesia seu Ecclesiastica dignitatis acceperint, prater ordinis sui periculum excommunicationis etiam penam condemnant.

Ioan. 10. 2.

Nam in Synodo Symmachii Papa statutum legitur, Non placuit laicum statuenti in Ecclesia aliquam habere facultatem, cui subsequendi inmet necessitas, non auctoritas imerandi. Item laicis quamuis religiosi nulla de Ecclesiasticis dignitatibus aliquid disponendi legitur attributa potestas. Item Calixtus Papa. Si quis principium inquit, vel aliorum dispositionem seu donationem, sine possessionem Ecclesiasticarum rerum sibi vendiderit, vel sacrilegus iudicetur. Item Paschalis. Nullus laicorum Ecclesiarum bona occupet, vel disponat. Qui vero secus egerit iuxta beati Alexandri Capitulum, ab Ecclesiasticis arceatur. Item Alexander. Per laicos nullo modo quilibet clericus aut Presbyter retineat Ecclesiam neque pretio, neque gratis. Item Paschalis. Si quis clericus, Abbas, aut Monachus per laicos Ecclesiam obtinuerit, secundum Apostolorum sanctorum canones, & capitulum Aniocheni Concilij, subiaceat excommunicationi. Idem. Constitutiones sacrorum Canonum sequentes statuimus ut quicumque clericorum ab hac hora inuestituram Ecclesia, vel Ecclesiastica dignitatis de manu laici acceperit, & qui ei manum imposuerit, gradus sui periculo subiaceat, & communionem priuetur. Et in hanc sententiam alia multa Canonum instituta & sanctorum Patrum decreta conueniunt. Caterum Ecclesias vel Ecclesiastica beneficia precij seu cuiuscunque muneris interuentu conferre simoniacum est, & simoniacam sapit procul dubio prauitatem. Porro Simonis crimen quam sit detestabile, quam horrendum, ipsa vos etiam infamis immanitas ignorare non sinit, ex quo profecto tam dantem quam accipien-

accipientem damnatio Simonis, qua sacra Aethiura Apostolorum lectio protestatur, inuoluit. Ad cuius condemnationem cum plurima prae-ter Apostolicam sanctionem sanctorum Patrum rescripta manauerint pauca credimus ex pluribus suffectura. Inter que primum sit illud Beati Gregori Presbyter, inquit, si Ecclesiam per pecuniam obtinuerit, non solum Ecclesia priuetur sed honore sacerdotij spoliatur: quia altare, decimas, & spiritum sanctum emere, vel vendere simoniacam haeresim esse nullus fidelium ignorat. Idem alibi. Audiuius, dilectissimi, quod nos audire oportuit, sed audisse profecto non libuit: quosdam scilicet sacrorum ordinum esse professores, qui sub munerum datione, vel acceptione, Dei Ecclesias, vel earum sibi sacrificia usurpant: quod quidem scelus vos non iam dudum acriter correxisse miramur. Iuste enim uterque corripendus est: & à sanctis liminibus Ecclesiae summouendus, & qui pro Ecclesia ambitu munera largitur, & qui ut Ecclesiam dent, quicquam praesumit accipere. Iste quippe donum Dei emere, hic autem vendere praesumit. Sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id, quod sponte & sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecunie pacatione causatur. Quare fratres dilectissimi, quae taliter facta sunt, curiose refellite, insecta prohibete, vel resistitque iustionibus resistentes digno anathematis vinculo percutere non dubitate. Item. Si quis dator vel acceptor Dei Ecclesias, vel Ecclesiastica beneficia, quae quidem praebendas vocant, sub pecunia interuentu, siue dando emerit, siue accipiendo vendiderit à Simonis non excluditur perditione. Non solum autem pecunia, sed & qualibet obsequij aut muneris species in huiusmodi criminaliter intercedit. Vnde idem Beatus Gregorius, Bene, inquit, cum virum iustum pro praebenda describeret, ait, Beatus qui excutit manus suas ab omni munere. Non dixit solum à munere: sed ab omni munere: quia aliud munus est ab obsequio, aliud à manu, aliud à lingua. Munus ab obsequio est seruus indebitae impensa, munus à manu pecunia est, munus à lingua fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus, non solum pecuniam nullam, sed nec etiam humanam gratiam requirit. Quod autem sacerdos, aut quilibet clericus, aliunde adueniens vel ignotus sine villo testimonio & literis saltem Episcopi sui in alia Diaccesi recipi aut ministrare non debeat, in Chalchedonensi legitur concilio definitum per haec verba: Extraneo clerico, vel electori, extra suam ciuitatem sine literis commendatitijs proprij Episcopi nusquam penitus liceat ministrare. Item in Concilio Carthagenensi, Clericum alienum, nisi concedente eius Episcopo, nemo audeat retinere vel promouere in Ecclesia sibi credita. Item Beatus Augustinus in sermone quodam ad populum, Hortamur, inquit, Christianitatem vestram, ut iuxta sanctorum Canonum instituta, in Ecclesia à vobis fundatis aliunde veniens presbyter non suscipiatur nisi à vestra fuerit Ecclesia Episcopo consecratus aut ab eo per commendatitijs literas suscipiatur. Ad hoc ne clerici ad secularia iudicia pertrahantur, & Romanorum Imperatorum leges prohibent, quae tanquam canones, ubi canonicis non obuiant, sunt obseruanda, & sanctorum Patrum ac praedecessorum nostrorum auctoritas interdicta. Scribit enim beata memoria Gelasius Papa dicens: Nemo vnquam Episcopum aut aliquos clericos apud iudicem seculari accusare praesumat. Item Alexander omnibus Orthodoxis: Relatum est ad huius sanctae & Apostolicae sedis apicem, cui summorum dispositiones causarum, & omnium negotia Ecclesiarum ab ipso Domino tradita sunt, quasi ad caput dicente, Tu es Petrus & super hanc Petram aedificabo, &c. quod quidam amuli, eiusque sanctae Ecclesiae insidiatores sacerdotes Dei apud iudices publicos accusare praesumant, cum magis Apostolus Christianorum causas ad Ecclesias deferre, & ibidem terminari praecipiat. Taliter prauaricantes prauaricarunt in Deum suum, & non obediunt praecipis eius. Feruentis vero aqua, vel candentis ferri iudicium, siue duellum, quod monomachia dicitur, Catholica Ecclesia contra quamlibet etiam, ne dum contra Episcopum non admittit. Vnde Stephanus Papa V. Ferricandentis, inquit, vel aquae feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet sacri non censent canones, & quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventione non est praesumendum. Item, Nicolaus Papa, Monomachiam in legem non assumimus quam praecipit esse non reperimus: quam licet inisse quosdam legamus, sicut sanctum David & Goliath sacra produci historia, nusquam tamen ut pro lege teneatur, diuina sanxit auctoritas, cum hoc & huiusmodi sectantes Deum solummodo ten-
O 2 tare vi-

tare videantur. Præterea illud adiciendo mandamus, quatenus populum regimini, & gubernationi vestra commissum decimas Ecclesiis fideliter & deuote persoluere, sicut ab ipso Domino noscitur institutum, diligenter ac sollicitè moneatis, & si necesse fuerit sub districtione anathematis compellatis, iuxta illud Malachia Propheta in persona Domini loquens: Inerte, inquit, omnem decimationem in horreum meum ut sit cibus in domo mea: Vnde in Concilio Moguntino: Decimas Deo & sacerdotibus Dei dandas Abraham factis, Iacob promissis insinuat, & omnes sancti sacerdotes commemorant. Item ex Concilio Rothomagensi: Omnes decima terra, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt & illi sanctificantur. Sed quia multi inueniuntur decimas dare nolentes, statuimus ut secundum Domini nostri præceptum admoneantur semel, secundo, & tertio. Qui si non emendauerint, anathemate usque ad satisfactionem & emendationem congruam feriantur. Nec tamen ideo ea, quæ Ecclesiis, imo Deo, ipsi, vel parentes eorum contulisse noscuntur, reuocare, vel Ecclesiasticarum personarum dispositioni subtrahere volentes erunt aliquatenus audiendi: quæ si homini contulissent reperire non valerent. Vnde Ambrosius in libro de penitentia: sunt qui opes suas tumultuario mentis impulsu, non iudicio perpetuo, ubi Ecclesia contulerint, postea reuocandas putant. quibus nec prima merces grata est nec secunda: quia nec prima iudicium habuit, & secunda habuit sacrilegium. Item ex concilio Agathensi. Clerici, vel seculares, qui oblationes parentum, aut datas, aut testamento relictas, retinere perstiterint, aut id quod ipsi donauerint Ecclesiis vel monasterijs, reciderint auferendum, sicut sancta Synodus statuit, velut necatoris pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur. Illos vero qui in clericos violentas manus nisi forte se defendentes iniiciunt, penam excommunicationis incurrere Sacrosancta Romana Ecclesia pridem statuit & inuiolabiliter tenet: nec à quoquam omnino nisi à Romano Pontifice, vel de mandato eius absolui patitur, aut permittitur. Vos itaque ipsius quæ omnium Ecclesiarum caput est & magistra, vestigis inhaerentes, eius ac nostre in supradictis omnibus acquiescite sanctioni: & secundum ea quæ à Sanctis Patribus & prædecessoribus nostris instituta prædiximus obseruate, atque ab omnibus per Episcopatus vestros, quantum in vobis est faciat firmiter & inuiolabiliter obseruari. Contemptores equidem Ecclesiastica præcipimus usque ad condignam penitentiam ultione percelli. Obsequentibus autem sit pax Domini nostri Iesu Christi: quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & in futuro præmia æterna pacis inueniant. Datum Tusculani. IV. Idus septembris.

ALEXANDER PAPA III. COLONI
LINCOPENSI EPISCOPO.

Anno 1160.

EX Dispensatione commisse nobis sollicitudinis & ex debito caritatis viros Pontificali officio præditos, & morum honestate ornatos sincera tenemur caritate diligere, & eorum vota quæ à rationis tramite non discordant, effectu prosequente complere: ut tanto fortius ornamenta virtutum appetere, & honestis insistere moribus studeant, quanto se ab Apostolica sede maiore honore cognouerint & gratia præueniri. Relatum siquidem est auribus nostris quod dilecto filio nostro Steinar, quondam Lingacopensi Episcopo claustralem quietem Episcopali honore præponente, & Pontificalem dignitatem in manu venerabilis Fratris nostri Eshili Londensis Archiepiscopi, Apostolica sedis legati, & regalis coram Rege & primatibus regni libere & spontaneè resignante, clerus & populus eiusdem loci, de assensu prædictorum Archiepiscopi & Regis atque ducis terra, te in patrem suum & Episcopum vnanimè & concorditer elegerunt. Verum licet illi non licuit absque auctoritate Romani Pontificis Episcopali dignitati abrenunciare, volentes tamen necessitati Ecclesie tue paternæ prouisione prospicere, & honestati tantorum virorum deferre, id aquanimiter supportamus, & electionem & consecrationem tuam ratam & firmam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, & tibi in subditis tuis corrigendi vitia & superflua rescandi plenam concedimus facultatem. Tu vero subiectorum culpas tantæ redargutionis culpa insecteris, quod & qui culpabiles sunt suos excessus corripant celeriter,

celeriter, & emendent, & alij hoc videntes ad committenda similia non aspirent. Hac tamen consideratione praehabita, ut dure & aspere, leuiter & mansuete, secundum naturas & qualitates personarum, vitia corrigas subditorum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum, hanc paginam nostra confirmationis infringere liceat, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Tusculani. VI. Idus Septembris.

ALEXANDER PAPA III. GVILLEMO
STREGENSI EPISCOPO.

FRATRES & Coepiscopos nostros, & eos praecipue, qui in medio pravae nationis sunt positi, & in remotis mundi partibus constituti, arctiori nos conveni caritate diligere: & ut in commissio sibi amplius talento proficere valeant, & ad cultum Iustitiae & domus Dei decorem fortius accingi, eis Apostolica sedis gratiam & favorem nos convenit impertiri. Attendentes igitur devotionis tuae constantiam, & fidei puritatem, qua Beato Petro & nobis immobili firmitate adherere conspicis, te sicut venerabilem fratrem nostrum diligere & honorare, & tui rationabilibus votis & desiderijs debita cupimus benignitate favere. Inde est quod Ecclesiam tuam sub Beati Petri ac nostra protectione recipimus, ea qua in praesentiarum pacifice ac legitime possedit, & specialiter Neeric, sicut à rege & Metropolitano tuo, & à venerabili fratre nostro Eshilo Lundensi Archiepiscopo, Apostolica sedis legato, tibi confirmata est, & scripti sui munimine roborata, tibi & per te eidem Eccl. sic auctoritate Apostolica confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communitimus. Statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Tuscul. VII. Idus Septembris.

ALEXANDER PAPA III. STEPHANO
VPSALENSI ARCHIEPISCOPO, ET SVF-
fraganeis eius, & Guthormo Duci.

GRAVIS admodum & difficilis est ad Apostolicam sedem querebra perlata, quod Finni semper imminere sibi exercitu inimicorum, fidem servare Christianam promittunt, & praedicatores & eruditores Christianae legis desideranter requirunt, & recedente exercitu fidem abnegant, praedicatores contemnunt, & graviter persequuntur. Unde quoniam in hoc Deo illudere, & Christianam religionem deridere videntur, & illis se duplo suos gehennae constituentibus, salus & vita eorum tota in terrenis, neglectis caelestibus, conspicitur consistere: nec est dignum ut eis in adversitate Christianum nomen defensionem conferat, quod in prosperitate despiciere & horrere probantur: uniuersitatem vestram monemus, atque mandamus, quatenus à fallacijs & fraudibus eorum ita prudenter & discrete de cetero caveatis, quod si ingruerit necessitas, ad auxilium & defensionem vestram non possint recurrere, nisi munitiones, si quas habent, vobis tenendas assignent, aut alias, adeo sufficientem cautionem exhibeant & securitatem, quod amodo nullatenus pedem retrahere, aut vestram prudentiam valeant circumuenire: sed Christiana fidei documenta cogantur tenere firmiter & servare ne amplius de eorum numero videantur, de quibus dictum est, Confitebitur tibi, cum benefeceris ei. Datum Tuscul. V. Idus Septembris.

ALEXANDER PAPA III.
TRVNDENSI ARCHIEPISCOPO,
& A. quondam Staueng. Epi-
scopo.

LEX Diuina & humana desiderat, & debitum charitatis exposcit, ut bono & vtilitati communi debeamus intendere, & adreuocationem & conuersionem infidelium operam omnimodam & sollicitudinem adhibere. Inde est quod prudentiam vestram rogamus attentius & monemus, venerabili fratri nostro Fulconi Epsouum Episcopo, qui ad conuertendam illam gentem diuina gratia inspiratus ministerium predicationis & laborem proponit assumere, Nicolaum Monachum, qui de gente illa, sicut accepimus, est oriundus, virum religiosum atque discretum, in socium concedatis, ut tantum bonum possit perficere, & gentem illam ad agnitionem veri luminis, & ad culturam & doctrinam Christianae fidei, verbo predicationis auxiliante Domino reuocare, & vobis exinde valeat aeternae mercedis cumulus prouenire. Datum Tuscul. V. Idus Septemb.

ALEXANDER PAPA TERTIVS
VNIVERSIS TAM CLERICIS, QUAM
laicis Lincopensis Episcopatus.

Anno 1160. **D**ECET vniuersitatem vestram, quae ad perfectionem virtutum & salutem pertinet animarum, toto studio cogitare, & ea voluntario effectu perficere, per quae gratiam possitis altissimi acquirere, & ad aeterna felicitatis gloriam cum auxilio diuini numinis peruenire. Ceterum quoniam sine obedientia virtute nemo Deo perfecte potest placere, aut acceptum seruitium reddere, per Apostolicis vobis scripta praecipiendo mandamus & mandando praecipimus, quatenus venerabili fratri nostro Coloni Episcopo vestro, sicut bona memoria Coloni praedecessori suo fecisse noscimini, omnimodam obedientiam & reuerentiam impendatis, & in his qua Dei sunt, & ad vestrarum animarum spectant salutem, monitis & mandatis eius humiliter parere curetis, & ei de iustitijs suis integre & plenarie respondeatis: ita quod apud Deum pro humilitate & obedientia vestra peccatorum vestrorum veniam, & gloriam valeatis promereri aeternam. Si qui autem vestrum ei contumaces vel rebelles extiterint, sententiam quam idem Episcopus propter hos in eos rationabiliter tulerit, auctore Domino ratam & firmam habebimus. Datum Tusculani. XV. kalend. Octob.

ALEXANDER PAPA TERTIVS
VNIVERSIS DEI FIDELIBVS PER
Daniam constitutis.

OMNES qui pie volunt in Christo viuere, & ad iubar circumscripti luminis, & ad illam caelestem patriam, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, ubi nec fures fodiunt, nec furantur, nec timea de molitur; peruenire desiderant, dicem oportet extremum misericordiae operibus praeuentire, & aeternorum intuitu seminare interris, quae cum multiplicato fructu largiente Domino recolligere possint in caelis. Scriptum est enim: Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictione & me-

ne & metes vitam aeternam. Credimus sane vniuersitati vestra innotuisse, qualiter venerabilis frater noster Iulio Eistonum Episcopus, inopia & paupertate prematur, & ad conuertendam gentem illam sui Episcopatus, qua Christiana fidei signata est, totis viribus elaborat, & quantam potest sollicitudinem ac diligentiam adhibere procurat. Quia vero pariceps mercedis efficitur qui et ad tam pium & sanctum opus perficiendum consilium & subsidium subministrat, deuotionem vestram monemus, & exhortamur in Domino, & remissionem peccatorum vestrorum iniungimus, quatenus de bonis à Deo vobis collatis praedicti Episcopi subleuantis inopiam, ei manum auxilij porrigatis, & caritatis solatia diuini amoris intuitu ministratis: ut per hac & alia bona, qua Deo inspirante feceritis, apud altissimum peccatorum vestrorum veniam consequi, & ad aeterna felicitatis gaudia mereamini, propitiante Domino, peruenire. Datum Tusculani. XV. Calend. Octobris.

REGI SVEONVM ET DVCIBVS,
ET PRINCIPIBVS, ET EORVNDem

Archiepiscopo, & cunctis suffraganeis
eius, Petrus Abbas Ccl-
lensis.

CVM animi Deo deuoti principale & summum debeat esse studium, ad gloriam & honorem Dei omnia componere, si forte aliquatenus se omnipotenti Deo placere, vel tenuiter senserit, cumulatius intrinsecus gaudijs totum se effundit, tanquam liquefactus post sponsum, acclamans & dicens, Exultabimus & letabimur in te memores vberum tuorum. His nostra paruitas prouocata exemplis & si in multis imo pane in omnibus, quotidie me sciam peccare, & non ut iustum est mancipari studijs, in hoc vno non vsquequaque despero de misericordia Dei, quia de manu nostra manipulum benigne suscepit, dominum Fulconem Episcopum, quondam monachum nostrum, & in claustrali religione à nobis enutritum, ad summum pronexit sacerdotium. Anno 1161.
Cant. 1. Recognoſcimus in eo vultum nostrum, & speramus quod non recedat cor eius à Deo nostro, & à mandatis eius. Cum ergo opportunitas grata obtulerit, quod tempus habere possumus, adhuc cum instruendi & informandi in ampliorem Dei dilectionem, gratanter & deuote excipimus, quia vlietius non e. m. videndum, vsque ad thronum gratiae, & ad distributionem aeterni stipendij arbitramur. Ad hac ipsa temporis incommoditas cooperatur desiderio nostro, si enim vterque nostrum vellet, discrimina & pericula que habet transire non posset.

Inundantia enim aquarum, ut audiimus, tanta est, ut vix serenissimis temporibus meabile sit iter quo ad vos peruenitur. Tertia denique causa subest, quia dominus Archiepiscopus noster Romam pergens officium suum nos supplere commisit. Nequaquam autem in dedicatione Ecclesiarum, vel ordinatione clericorum, vel confirmatione Christianorum Abbatibus assurgit dignitas. Per ipsum ergo qui in omnibus noster est, implemus quod per nos non possumus. Veniet autem ad nos plenus DEI benedictione cum tempora fuerint meliorata. Valete.

ALEXANDRO PAPÆ TER-
TIO PETRVS ABBA S
S. Remigij.

QUAE in euidenti & manifesto sunt vera, seipsa loquuntur, se ipsa nullo adminiculo adiunguntur. Quae autem remotione loci, euolutione temporis, vel cuiuslibet implicatione

Folco Episcopus Aboenensis.

caliginis profundam tenent ignorantia, cum rei publica poposcerit vilitas, sub luce volent videri. Hinc est sanctissime Pater, quod lator presentium, in gremio nostra humilitatis coalescens, habitum religionis à nobis in monasterio Cellensi suscepit, diuque ibi vbera vino meliora sugens, in virum Episcopalem gratia Dei cooperante profecit. Reuera opus & vnus in iuncti officij amplectens, non aurum robur suum ponens, nec obrizo dicens, fiducia mea. Quærit enim à Sede Apostolica mortem per mortem, quia & in itinere quo pergit, mortem minatur astas, & Imperialis potestas, & quam exposcit, si obtinuerit, mortem importat Barbarorum insida Societas. Habet itaque animam suam in manibus suis, offerens illam Deo per manus celestis clauicularij & vestram. Excipite, si placet, hostiam sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium, & beatissimi Apostolatus vestri auctoritate exponite ouem lupis, si forte beata conuersatione lupus non comedat agnum, sed agnus conuertat lupum. Quodlibet autem horum fiat, DEVS glorificabitur, ministerium vestrum honorificabitur, & anima fratris nullum detrimentum patietur. Præsumo enim à præteritis, quæ in eo enutriti, & multis didici argumentis, quod in commissio fidelis erit, & à tramite fidei nullo incurfu exorbitabit, potiusque dabit sanguinem, quam imminuat fidem. Ait Apostolus: spiritum nolite extinguere, & lucernam iam in modio accensam amphoribus suffusoris accendite: quia hæc est gloria & corona vestra, si granum trumenti per manum vestram in terram cadens multum fructum attulerit.

LVNDENSI ARCHIEPISCOPO
PETRVS ABBAS
Cellensis.

ÆTERNAS & antiquas venas misericordiarum & benedictionum suarum persufant omni largitate diuina gratia his temporibus, licet caritas multorum refrigerat, nondum exclusit. Quamuis enim reconditos & labentes sinus gratie in mentibus multorum fidelium DEVS in Ecclesia sua adhuc retineat: vos præcipue tanquam lucernam super candelabrum positam, oleo multiplici persudit, vnde multa areole Ecclesiarum, Episcoporum, pauperum, viduarum, tam suauiter quam abundanter irrigantur. A multis siquidem retro temporibus, non in vacuum siue gratiam, siue pecuniam DEI exceperitis, ligando illam in sudario, vel infra domesticos parietes recludendo. Quis enim ad vos accedens vestram non sensit benedictionem? quis quantumlibet tepens, audiens vel videns conuersationem vestram, manum egenis expositam, ostium viatoribus patens, iudicium & iustitiam aqua lance, causam non personam discernens, omnemque reliquam actionum & sermonum vestrorum regionem perlustrans, non calefactus, non melioratus, non bene instructus abiit? DEO gratias, qui iuxta consuetudinem suam gratiam pro gratia superabundare facit in vobis, ut melior sit finis orationis quam principium, & ut exitus matutini & vespere delectabiles fiant.

Folco Aboenensis ac Etkoniae Episcopus.

Adhuc enim stillant manus vestra aromata DEI, quæ de thuribilibus Sanctorum, per manus Angelorum, in incensum suauitatis naribus sedentis super thronum gratie referantur: quatenus in aeterna tabernacula vos recipiant, qui de bonitate & beneficiis vestris in terris sustentati, per gratiarum actionem in caelo iam sunt recepti, vel adhuc recipendi. Pauper iste Episcopus Dominus Fulco, quem per Euangelium in CHRISTO ego genui monachum, & vos Episcopum, de magnificentissima liberalitate vestra, DEO gratias nobiscum referit, exponens quod sustentamentum vite & peregrinationis sua vos habet & semper habiturum confidit. Scitis, Domine Pater, quam duram provinciam sortitus sit, & quod animam suam in manibus suis posuerit, potius mortem semper expectans, quam longam vitam. Scitis etiam, quia qui Prophetam in nomine Prophetæ recipit, mercedem Prophetæ recipit. Vnde remittimus eum ad vos & commendamus eum DEO & vobis. Retinuimus eum siquidem malo tempore, remittimus

mittimus autem bono & congruo, ut visitet messem, utrum matura sit ad metendum, an immatura ad laborandum. Manum siquidem misit ad aratrum ope vestra & opere, ad Christianitatem dilatandam, & horrea Dei fertile segete implenda. Vestrum enim, vestrum est, quicquid incrementi prouenerit ex labore ipsius, quia & de vestro vinit, tanquam operarius Dei & vester, & ad gloriam vestram respicit atque coronam, quodcumque Christo acquirere potuerit. Non igitur obturandum est os boni trituranti, neq. palea subtrahenda.

INNOCENTIVS PAPA TERTIVS

Illustri Regi Succia.

TAM Cleri quam populi Noruegensi. promerentibus culpis permittente Domino credimus Anno 1198. accidisse, quod vsque adeo in vos & totum Regnum Noruagiae tyrannica Sueri crudelitas, & violentia detestanda proualuit, ut in Regnum nec electione Principum, prout accepimus, nec ratione sanguinis occuparit, & in viros Ecclesiasticos, ipse quondam Ecclesiastico, sicut dicitur sanctus officio debacchetur, Ecclesias opprimat, Clericos persequatur, affligat pauperes, & sauiat in potentes, ita ut diuino credatur accidisse iudicio, ut qui secundum etiam suam assertionem illegitime natus ad sa. ros non fuerat Ordines promouendus, contra sanctiones Canonicas assumptus ad eos fortius in illos desinat, qui in ordinatione ipsius, Statuta Canonum non seruarunt. Miramur autem non de Deo qui ad correctionem vestram eius tyrannidem haecenus tolerauit, nec de ipso, cuius spiritus obstinatus in malo, malum dedidit, assuetus iniquitati, non potest, sed de his qui Apostatam Sacrilegum & nefandum, adhuc etiam Sacrilega temeritatis ausa sequuntur, & ei praebeant auxilium & fauorem, cuius tyrannidem persequi potius pro viribus tenebantur. Licet autem ad edomandam eius versutiam frequens manauerit ab Apostolica Sede mandatum, nondum tamen sic eius potuit peruersitas refranari, quin adhuc quibusdam eum in suarum sequentibus perniciem animarum in quadam parte Noruagiae dominetur, & in ea rabie superet Aquilonis. Qui ut amplius vos & vniuersum Noruagiae populum circumuentret, & auctoritate Apostolica Regnum sibi ostenderet confirmatum, bona memoria C. Papae Praedecessoris nostri Bullam falsare non timuit, qua varias literas sigillauit: Sed is cui manifesta sunt omnia eius falsitatem detexit. Ne autem eius peruersitas diutius desinat in insontes, Serenitatem Regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad defendendas Ecclesias, Clericos in sua libertate tuendos, liberandos pauperes & potentes de manu persecutoris illius, imo etiam ad detricendum monstrum illud, quod iis solis parcat, quibus nocere non potest, taliter accingaris, ut & à Deo retributionem aeternam, & nostram consequi gratiam specialius merearis. Persecutoribus tantae iniquitatis assistas, resistas sequacibus, ita quod membrum illud Diaboli non possit in Regno Noruagiae denuo debacchari, aut persecutionem in Ecclesiis ulterius suscitare. Datum apud Ciuitatem Castellanam secundo nonas Octobris Anno primo.

INNOCENTIVS PAPA TERTIVS

VALERIO ARCHIEPISCO.

po Vpfalesi.

VINEAM Domini Sabbatho multiformes moliantur bestiae demoliri, quarum incurfus Anno 1214. adeo inualuit contra ipsam, ut ex parte non modica pro vitibus spinae succruerint, & quod gementes referimus, ipse iam vites pro vna labruscam, insecta multipliciter, & corrupta. Illius ergo testimonium inuocamus, qui testis est in calo fidelis, quod inter omnia desiderabilia cordis nostri, duo in hoc saeculo principaliter affectamus, ut ad recuperationem videlicet terrae Sanctae, & reformationem vniuersalis Ecclesiae valeamus intendere cum effectu, quorum utrumque tantam requirit prouisionis instantiam, ut absque gravi & grandi periculo ultra dissimulari nequeat

nequeat vel differri. Vnde Supplicationes & lachrymas frequenter effundimus coram Deo, humiliter obsecrantes, quatenus super his suum nobis beneplacitum reuelaret, inspiraret affectum, accenderet desiderium, & propositum confirmaret, facultatem & opportunitatem praestando ad ea salubriter exequenda. Quapropter habito super iis cum fratribus nostris & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, prout tanti sollicitudo propositi exigebat, hoc tandem ad exequendum praedicta de ipsorum consilio prouidimus faciendum, ut quia haec vniuersorum fidelium communem statum respiciunt, generale consilium iuxta priscam Sanctorum Patrum consuetudinem conuocemus propter lucra solummodo animarum opportuno tempore celebrandum, in quo ad extirpanda vitia & plantandas virtutes, corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas hereses, & roborandam fidem, sopiendas discordias, & stabilendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fouendam, inducendos Principes & populos Christianos ad succursum & subsidium Terra Sanctae tam à Clericis, quam à Laicis impendendum cum ceteris quae longum esset per singula numerare; proinde statuatur inuoluntate obseruanda circa Praelatos & subditos Regulares & Saculares quacumque de ipsius approbatione consilij visa fuerint expedire ad laudem & gloriam nominis eius, remedium & salutem animarum nostrarum ac profectum & utilitatem populi Christiani. Quia vero ante biennium vniuersale non posset concilium commode congregari, disposuimus interim per viros prudentes in singulis Prouincijs plenius explorare, qua apostolica prouisionis limam exposcant, & premittere viros idoneos ad Terra sancta negotium procurandum, ut si exigente necessitate sacrum Concilium approbauerit, nos personaliter ipsum negotium assumamus efficacius promouendum. Credentes igitur hoc salutare propositum ab illo descendere, à quo est omne datum optimum & omne donum perfectum, Vniuersitati Vestrae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus vos taliter preparatis, quod à praesenti Dominica Incarnationis Millesimo, ducentesimo tertio decimo anno, usque ad duos annos & dimidium praefixis vobis pro termino Calendis Nouembris nostro vos conspectui praesentetis, cum modestia & cauetela, ut quod in vestra Prouincia, vnus vel duo de suffraganeis valeant Episcopis remanere, pro Christianitatis ministerijs exercendis, & tam illi quam alij, qui canonice forte praeparatione desenti personaliter venire nequiverint, idoneos per se dirigant responsales personarum & electionum mediocritate seruata, quam Lateranense Concilium diffiniuit, ut nullus omnino plures, quiuis autem adducere secum possit, nec quisquam superfluas faciat & pomposas, sed necessarias tantum & moderatas expensas, ostendendo se actu & habitu verum Christi cultorem cum non saecularis applausus, sed spiritualis profectus in hoc sit negotio requirendus. Inuincatis autem vos fratres Archiepiscopi & Episcopi ex parte nostra vniuersis Ecclesiarum Capitulis non solum Cathedralium, sed etiam aliarum, ut Praepositos vel Decanos, vel alios viros idoneos ad Consilium pro se mittant, cum nonnulla sint in ipso tractanda, quae specialiter ad Ecclesiarum Capitula pertinebunt. Interim vero & per vos ipsos, & per alios viros prudentes vniuersa subtiliter inquiratis, quae correctionis aut reformationis studio indigere videntur, & ea fideliter conscribentes, ad Sacri Concilij perferatis examen circa subuentionem necessariam Terra Sanctae, ubi Deus Rex noster ante saecula salutem in medio Terra dignatus est operari opem & operam efficaciter impensuri, assistendo fideliter & prudenter iis, quos deputauerimus ad hoc negotium specialiter procurandum. Nullus itaque se fallaciter excusando ab executione tam sancti operis subtrahatur, si Canonicam vult effugere ultionem. Nemo dissensionum obstacula vel itinera impedimenta causetur, quae Domino faciente signum in bonum ex magna iam parte cessare ceperunt. Nam & quanto imminet maiora pericula, tanto potiora remedia conuenit adhiberi. Nunquam enim nauigabit per aequora, qui semper expectat ut mare non concipiat ex se fluctus. Datum Laterani XIII. Calendas Maij. Pontificatus nostri Anno XVI.

HONO-

HONORIVS PAPA III. VALERIO ARCHIEPISCOPO VPSALEN. ET SVFFRAGANEIS EIVS ET MAGISTRIS eiusdem Prouinciæ & Decano & Archidiacono Vpsalensi.

INTER cetera qua ad succursum Hierosolymitanae Prouinciæ statuta fuerunt in Concilio generali, hoc de communi assensu omnium Prælatorum ibidem presentium fuit salubriter ordinatum, ut omnes omnino Clerici tam subditi quam Prælati viceſimam Ecclesiasticorum prouentuum vsq; ad triennium integre conferant in subsidium Terra Sanctæ, per manus eorum qui ad hoc Apostolica prouidentia fuerint ordinati, quibusdam duntaxat Religiosis exceptis ab hac præstatione merito eximendis, illisq; similiter qui assumpto vel assumendo Crucis signaculo sunt personaliter profecturi, ad quod omnes fideliter obseruandum per excommunicationis sententiam decretum est esse legatos, ita quod illi qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurant. Vt igitur hoc salutare statutum debitum consequatur effectum, dilectis filiis Magistris Domorum militiae templi & Hospitalis Hierosolymitani in Vpsalen. Prouincia constitutis, & Decano & Archidiacono Vpsal. hanc sollicitudinem duximus committendam, dantes eis plenariam potestatem eligendi & ordinandi duos idoneos Clericos sine plures, ac etiam duos fratres, unum Templi & alium Hospitalis, quos auctoritate nostra per Prouinciã vestram transmittant, cum suarum testimonio literarum ad ipsam viceſimam colligendam. Quocirca Fraternitati vestra per Apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus vestris & subditorum vestrorum redditibus, à tempore in Concilio præfinito diligentius computatis parati sitis vsq; ad festum omnium Sanctorum de vestris certis redditibus certam summam viceſimam Nunciis prædictorum quibus hoc commisimus de laxare, ac ipsis vsq; ad Calendas Maij consequentes sine difficultate ac dilacione qualibet tam de ipsis certis prouentibus, quam etiam de incertis viceſimam integritate exhibere, monentes diligentius auctoritate nostra & efficacius inducentes Abbates & Capitula & Decanos, ne non & in singulis vestris Synodis Sacerdotes & alios Clericos vniuersos in vestris Diocesis constitutos, ut in diebus super hoc ordinandis à vobis in singulis Ciuitatibus sint parati prædictam summam viceſimam per triennium Nunciis prædictis plenarie soluere secundum terminos constitutos. Sic autem in hoc negotio vos prudenter & fideliter habeatis, quod exinde non possitis merito reprehendi, sed potius valeatis à Deo premium æternum in celis, & laudem à nobis & alijs expectare, ceterique vestro exemplo ad prædicta bona fide inuolabiliter exequenda fortius animentur. Abbates autem Præmostraten & Cisterciens. Ordinum per Quæstores huiusmodi non prouidemus requirendos. Datum Romæ apud S. Petrum XI. Calend. Decembris. Pontificatus nostri Anno primo.

HONORIVS PAPA III. VALERIO ARCHIEPISCOPO VPSALENS. & suffraganeis eius.

MAGNVS Dominus & laudabilis nimis, gloriosus in Sanctis, mirabilis in Mæstatis Anno 1216. faciensque prodigia, immutat tempora alto sue dispositionis consilio, cui consiliarius alius non existit, & vocat ea qua non sunt tanquam ea que sunt, ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius, sed quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino gloriatur. Ipse namq; dat secretorum Scrutatores, quasi non sint, & velut inanes iudices terra facit, arefaciens stagna flumina in insulas collocando, ab oriente & occidente congregat sibi semen, & dicit Aquilonia, & Austro nolui prohibere, ut illi quibus arridet prosperitas filios Aquilonis impedire non possint venire in gratiam filiorum, qua ponit humiles in sublimi, & merentes erigit sospitate. Cumq; in-

comprehensibilia sunt iudicia sua, & inuestigabiles eius viae, istud ex eis tenemus pro certo, quod omnia in isto facit iudicio, nobis tamen ineffabili & occulto. Sane felicitis recordationis Innocentio Papa Praedecessore nostro septimo decimo Calendas Augusti soluto debito carnis, ad regionem Sanctorum Spirituum, ut credimus, euocato, & sequenti die celebratis exequiis, ac cum honore debito collocato ipsius corpore in sepulchro, una cum Fratribus nostris ad eligendum conuenimus successorem, & die tertio Spiritus Sancti gratia inuocata, super hoc tractauimus diligenter, & post tractatum diutinum placuit fratribus uniuersis humeris nostris quamuis insufficientibus imponere onus istud; Et licet in primis duxerimus resistendum, ne tamen uideremur uocationi diuinae resistere, submissimus humeros adiortandum, sperantes in eo, qui linguas infantium facit esse disertas, quod ipse qui uota fratrum aspirando praenit, prosequatur etiam adiuuando. Fiduciam enim talem habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed nostra sufficientia est ex Deo, qui nos ad suum ministerium euocauit. Sollicitudine igitur Ecclesiastica prouisionis assumpta, & spe non modica de uobis concepta, quos nobis misericordia Conditoris ad tanti oneris grauitatem facilius perferendam in participium instantie nostrae quotidiana assumpsit. Vniuersitatem uestram rogamus attentius, & monemus & exhortamur in Domino, quatenus insufficientiam nostram apud eum, qui dat omnibus affluentem & non imperat orationibus adiuuetis, & circa commissam nobis Dominici regis curam diligenter & utiliter vigilantes nostrum satagatis humiliter supplerere defectum, & inuictam nobis pastoralis oneris grauitatem, uigilanti studio comportetis, & in Ecclesiastica unitate, obedientia, & deuotione Apostolica Sedis, quibus haecenus Ecclesia Ppsalen, inter ceteras potissimum floruit & fructificauit suauitatem odoris, sicut ager plenus cui benedixit Dominus firmiter persistentes, ad ea quae pacis sunt impendatis studium diligens & operam efficacem. Nos enim uos tanquam principalia membra Ecclesiae honorare intendimus, & in quantum permiserit Dominus in uestris necessitatibus adiuuare. Adhuc volumus & mandamus, ut Cruce signatos uestrarum Diocesum attentius exhortemini, ne propter obitum praefati Praedecessoris nostri consernantur corda eorum, neque formident, quasi ex hoc Terra Sancta impediatur succursus: quoniam & si sufficientia illius nostra uideatur inferior, ad liberationem tamen ipsius terra uotis non minoribus aspiramus, quibus ipse Dominus, qui sperantes in se nullatenus deserit effectum tribuat & profectum, ut quod possibilitas uestra non obtinet, eius nobis gratia largiatur. Datum Perusij VIII. Calendas Augusti. Pontificatus nostri anno primo.

HONORIVS PAPA III. CLERO ET POPULO DE GVTHLANDIA.

Anno 1216. **I**USTIS petentium, &c. usque assensu. Compositionem super distributione Decimarum totius terra uestra inter uos & Venerabilem Fratrem nostrum Lincopen. Episcopum de assensu & auctoritate Venerabilis fratris nostri Lunden. Archiepiscopi amicabilem inuictam, sicut sine prauitate prouide facta est, & ab utraque parte sponte recepta, & multis temporibus approbata, ac in praedictorum Archiepiscopi & Episcopi lueris dicitur contineri, auctoritate Apostolica confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communitimus. Nulli ergo, &c. uestra confirmatio, &c. Si quis autem, &c. Datum Laterani III. Calendas Februarij Pontificatus nostri Anno primo.

HONORIVS PAPA III. VALERIO VPSALEN. ARCHIEPISCOPO ET SVF- fraganeis suis & Episcopis per Lunden. Pro- uinciam constitutis.

Anno 1216. **I**S qui facit Angelos suos Spiritus cum singuli sint ad ministeria deputati per eos operatur sui dispositionis arcanum, idemque unus stabilis & incommutabilis perseruens, prout uult diuidit singulis, & dispensat secundum secreti sui consilium uniuersa. Non aliter autem immo sicut simili

similitudine profertur Ecclesia, qua peregrinatur in terris ad instar illius, qua in gaudiorum aeternitate triumphat, plures ordines habet, de quibus is qui supremum locum obtinet in eadem vni praecipit, & ille iubentis exequitur voluntatem. Cumque ceteri vocati sint in partem sollicitudinis, vnus tamen praeeminet ex plenitudine potestatis, qui cum non possit vbique personaliter interesse, agit plerumque per alios vices suas, vt sic membra singula virtutem capitis repraesentent. Ex hoc itaque fuit, quod non tam persona Venerabilis Fratris nostri Lundeni Archiepiscopi meritum, quam fructum qui prouenire poterit animarum sedula moderatione pensantes vices nostras tam in Lundeni. quam in Vpsalen. Prouincijs eidem Archiepiscopo duximus committendas, vt de ipsis fructum afferat qui non perit, & sui nominis redolentis opinio respiret odorem agris pleni, cui Dominus benedixit. Proinde in his qua ad suam audientiam de praedictis Prouincijs deferuntur examinatis seu cognitis causa meritis diligenter malos coercest, & iniquos & iuxta modum culpae canonica districtio culpam feriat delinquentis, ita quod illibatas seruet cuiuslibet iura sua, & si ab aliquo ab ipso Archiepiscopo fuerit appellatum deferens honori sedis Apostolicae sicut debet terminum statuat appellanti, infra quem nisi appellationem suam fuerit prosecutus, extunc in negotio ipsa prauiaratione procedat. Cum autem contigerit Archiepiscopum memoratum dictas Prouincias visitare, procuraciones exigat moderatas, & si qua beneficia tanto tempore vacauerint, quod ad nos sit eorum collatio secundum Statuta Lateranen. Concilij deuoluta, liceat ipsi Archiepiscopo personis idoneis ipsa conferre. Praeterea plus animarum periculo praecauere, qua eidem Archiepiscopo prouidere volentes, auctoritate praesentiu indulgentes vt liceat sibi is qui in Canonem latae sententiae incidit, munus absolutionis impendere, nisi tam fuerit enormis excessus, quod propter atrocitate iniuria, vt alij terreantur exemplo ad sedem sint Apostolicam destinandi. Ad haec cum Crucesignatis qui fuerint in Prouincijs antedictis inhabiles ex facultatibus aut personis ad subsidium Terrae Sanctae sibi liceat cum expedire viderit dispensare vota peregrinationis vnus in aliud commutato. In his autem & alijs qua Pontificalem exiunt grauitatem sic saepe dictum Archiepiscopum speramus auctore Domino processurum, quod officium credite sibi sollicitudinis pastoralis ad honorem Dei & Ecclesiae Romanae proficiet, ac salutem operabitur animarum. Datum Laterani Calendis Februarij. Pontificatus nostri anno primo.

HONORIVS PAPA TERTIVS VALE-
RIO ARCHIEPISCOPO VPSALEN.
& suffraganeis eius.

APPROBANTE generali Concilio extitit ordinatum, vt omnes omnino clerici tam Anno 1216.
subditi quam Praelati vicepsimam Ecclesiasticorum prouentuum vsq; ad triennium integre conferant in subsidium terrae sanctae per manus eorum qui ad hoc fuerint Apostolica prouidentia deputati, quibusdam duntaxat Religiosis exceptis ab hac praestatione merito extimentis, & illis qui assumpto vel assumendo crucis signaculo illuc sunt personaliter profecturi. Sane super modo dispensandi huiusmodi vicepsimam audiuimus consilia diuersorum, quibus inter se plurimum variantibus, illud de consilio fratrum nostrorum prouidimus eligendum secundum quod viderimus ipsam vicepsimam distribuendam vtilius, & tam ab ijs qui conferrent, quam ab illis quibus fuerit distributa materiam suspicionis & murmuris melius amputandam, vt videlicet vicepsima cuiusq; Dioecesis redacta fideliter in pecuniam sub certo numero comprehendendo in authenticorum virorum & praesertim illorum qui eam collegerint testimonialibus litteris nobis etiam explicando ultra mare portetur per quatuor vel quinque, seu plures viros prudentes clericos & laicos cruce signatos illius Ciuitatis & Dioecesis, qui nota fidei, discretionis, & opinionis existant, quorum vnus sit Episcopus loci siquidem cruce signatus extiterit reliquis ab Episcopo Diocesano & ipsius vicepsime collectoribus eligendis, & per manus ipsorum de conscientia tamen Cardinalis qui fuerit ibi legatus distribuatur fideliter & discrete cruce signatis egentibus & vtilibus negotio terrae sanctae & praesertim de illa Dioecesi, vbi vicepsima illa collecta fuerit oriundis, iidemque distributores ipsi legati & Magistris Hospitalis & Templi reddant diligentissime rationem, per quam redactam in
P scriptis

scriptis appareat euidenter, pecuniam quam ut premissum est sub testimonialibus litteris secum attulerit esse Crucesignatis fideliter & utiliter distributam, & tam testimoniales littere super quantitate pecunie commissae distributoribus ipsis, quam scriptura ratiocinij quod Cardinali & Magistris reddiderint antedictis diligentissime conferuentur, ut & eorundem distributorum fides & diligentia illarum testimonio pateant, & suspiciosorum conquiescant mentes & libia conticefiant. Quocirca fraternitati vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus hoc sollemniter per vestras Dioeceses publicantes difficultatem seu moram aliquam vllatenus innectatis, vel permitatis innecti, quin tam collectio vicefima per eos qui ad hoc à bona memoria Innocentio Papa Pradeessore nostro fuerunt, vel à nobis fuerint deputati sine fraude ac expensarum disamine prout ad eos pertinet, quam alia prout superius sunt descripta efficaciter valeant executioni mandari. Sane pecuniam collectam & colligendam in truncis per distributores predictos distribuis volumus & mandamus inter Crucesignatos strenuos & prudentes de populo illo ubi fuerit pecunia ipsa collecta, quibus ad peragendum votum suum propria non suppetunt facultates, qua recepta sub testimonio virorum fidelium Crucesignatis ipsis distribuatur tempore arripendi itineris, vel in portu prout videbitur expedire ipsis distributoribus rationem de illa sicut de alia in scriptis fideliter reddituris. Datum Laterani II. Calendas Martij anno primo.

HONORIVS PAPA TERTIVS EPISCOPO FILANDIÆ.

Anno 1220. **C**VM sicut ex litteris Venerabilis Fratris nostri. Vpsalen. Archiepiscopi nostro est Apostolatus referatum Ecclesia tibi commissa de nouo ad agnitionem venerit veritatis, & à circumadiacentibus barbaris nationibus, qua plantationem nouellam eradicare nituntur, tribulationes multas sustineat & pressuras, ac earum sauitia ex subtractione mercimonij possit non modicum cohiberi, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut Christianos circummanentes, ne ad eos nauigent, & victualia seu alia necessaria deferant, mentione premissa per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compescas. Nulli ergo &c. nostra concessionis infringere. Si quis autem &c. Datum Laterani Idibus Ianuarij anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS IL- LVSTRI REGI SVETIÆ.

Anno 1220. **V**T potentibus huius seculi Dominus in Ecclesiis & rebus Ecclesiasticis, qua sibi speciali titulo sunt ascripta, omnem omnino interdiceret potestatem. Oram pro eo quod Arca fœderis sanctam Ecclesiam preassignanti, manum apposuit, ut inclinatam sustentaret eandem grauius mox percussit, ostendens quantam vlti. Ecclesie reuerentiam exhiberi, dum eum qui Arcam, qua figura erat Ecclesia, non ut deprimeret, sed aitolleret, tetigit ex eo solummodo, quod ad huiusmodi ministerium non erat additus, acriter sic puniuit. Vnde tañsumus dolore cordis intrinsecus, quod sicut ad audientiam nostram peruenit, tu & Principes & Magnates tui hæc minime attendentes, Ecclesias & res Ecclesiasticas nimis irreuerenter inuito Domino contractatis, dum inter alia quibus grauatis easdem, quoties Ecclesiam Cathedralicam vacare contingit, vos bonis vacantis Ecclesie nimis reprehensibiliter apprehensis, Capitulum ad quod electio pertinet successoris, ad electionem procedere non sinentes, contra Canonicas sanctiones quem vultis intrudisti in Ecclesiam viduatam dando intruso anulum & baculum Pastoralem. Quidam etiam Sæculares Iudices sacros Canones contemnentes in contrahendis & dirimendis matrimonijs, & in alijs quam pluribus, ius Episcopale sibi damnabiliter usurpantes, Ecclesias Presbyteris dant & auferunt quando volunt, nec attendentes quod seruus suo Domino stat & cadit, Clericos sua iudicia subire compellunt. Nos igitur tam de pressionem Ecclesiastica libertatis, quam animarum pericula ex his euenientia manifeste debuit favore zelantes, Celsitudinem Regiam rogamus, monemus, & hortamur atente, quatenus prudenter attendens, quod honor Regis est, ut iustitia diligat, qua se diligit & dirigit diligentes, non solum ipse ab huiusmodi abusibus prorsus abstineas, verum etiam quo-

iam quoslibet tibi subditos, tradita tibi calitate potestate abstinere cōpellas te ac alios ab occupandis bonis Ecclesiasticis cohibendo, & permittendo electiones vacantibus Ecclesiis libere celebrari, & alias personas Ecclesiasticas seruando in omnimoda libertate, ita quod offensam redimas precedentem, & in gratiam te aduehas potiore, ac nos mansuetudinem Regiam polissimus merito commendare. Datum Lateran. III. Nonas Nouembr. anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS OLAO
VPSALEN. ARCHIEPISCOPO
& Episcopo Scaren.

NE si secus Vineam Domini nostra cura commissam positas vndique solitudines redigere neglexerimus ad culturā, & propagare in eis propagines, qua flores odoris & fructum afferant honestatis, possimus merito de torpore seu desidia reprehendi, licet vndecima sui hora, operarios tamen in ipsa proponimus destinare, qui sarculo pradicacionis ex circumadiacentibus nationibus vitiorum spinas euellentes & vepres, & extendentes in easdem palmities fidei, compluenteque illas aquis, qua transcunt inter medium montium ipsas florere faciant, & virtutum germina germinare, ac sic effundente Domino Spiritum de excelso in solitudine iudicium quo se cum Deo & coram Deo ne ab eo iudicetur diiudic. habitet, fiatq; nationum desertum in Chermel. in vera circumcissionis scientiam veniendo, & postquam intrauerit gentium plenitudo, tandem reconciliationis iustitia sedeat in Chermel in Israelitico populo, qui nunc reputatur in salu. Verum cum multi per Dei gratiam ad hoc opus idonei latitent intra Ecclesiam otio contemplationis vacantes amplioribus infacunda Rachelis, videntis tamen subtilius inherendo, qui se in cultura Dominica Vineae non curarunt hactenus exercere, Lye secunda licet lippa quasi connubium aspernando, ipsos per te ac alios Ecclesiarum Pralatos, ne cum tota die circa propagationem ac dilatationem vineae Dominica steterint ociosi, quod nemo eos conduxerit valeant excusari, duximus excitandos, ut & in hac vndecima hora conducti mandragoris Lye ingrediantur cubiculum, & Vineam Domini studeant propagare, laboraturi quasi breui hora & spacio in eadem, & diurni denarij premium recepturi. Quocirca Fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus in Prouincia tua quatuor viros opinionis sincere, ac litteratura probate, vel tres, seu saltem duos cuiusunque religionis vel Ordinis, in Cisterciens. praesertim, cui Dominus benedixit à mari vsque ad mare ipsius extendendo palmities eligas, qui super nitentes asinos ascendentes, habentesque vitam in patientia, & mortem in desiderio, sponte velint animas suas offerre discrimini, & bene dicere Domino parati pro ipsius nomine si opus fuerit Martyrium suslinere, ac ipsos vsque ad Festum Beati Martini ad praesentiam nostram transmittas, secundum circumspeditionis Apostolicae providentiam, una cum illis quos de Prouincijs alijs ad nos mandamus transmitti, ad solitudinem diuersarum gentium destinandos, ut in eis surgentes legatione pro Christo reconciliari obsecrent illas Deo, quasi per ipsos Domino exhortante, & tanquam Cines Apostolorum & domestici Dei, easdem verbo doctrina illuminem, pacem gentibus tribuendo, ac cum exultatione ad nos seu ad Dominum potius reuertentes iusticie manipulos referant, & ab eodem vita & senatum recipiant sanguine proprio laureati. Quod si forsitan Pralati eorum qui animas suas sponte periculo duxerint offerendas, voluntati eorum presumpserint obuiare, praesumptiones eorum mo. pre. per censuram Ecclesiasticam appellatione remota compefcas. Datum Laterani octauo Calendas Aprilis anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS OLAO
ARCHIEPISCOPO VPSALENS. ET SVFFRAGAN-
gancis eius, & Abbatibus, Prioribus, & aliis Ecclesiarum Prae-
latis in Vpsalen. Prouincia constitutis.

SVSCEPTI cura regiminis, qua nos omnibus constituit debitores exposcit, ut qui officium Speculatoris assumpsimus, non solum ad prope positos, sed etiam ad longe positos nostra sollicitudinis

Anno 1220.

tudinis aciem extendamus, ac de agro Dominico studeamus extirpare plantaria vitiorum, ne forte illis per nostram incuriam excrescentibus, nobis possit adaptari quod legitur. Per agrum hominis pigri transiui, & ecce vrtice repleuerunt eum, & operuerunt faciem eius spina. Quia vero humana conditionis natura non patitur, vt per nos ipsos cuncta nobis imminetia exequamur, exemplo eius qui cum vbiq; sit praesens spiritus Angelos suos facit, & in diuersa ministeria mittit illos, aliis ea exequenda committimus, quae per nos ipsos exequi non valeamus, maiora maioribus, prout ratio singularum expostulat committentes. Vt igitur in persona eius quem ad vos destinare curauimus plenius agnoscatis quam & quantam de vobis sollicitudinem habemus, ecce mittimus ad vos dilectum filium nostrum Gregorium de Crescentio Sancti Theodori Diaconum Cardinalem Apostolicae Sedis Legatum, virum vtiq; prudentia & honestate conspicuum, ac nobis inter ceteros fratres nostros suis meritis exigentibus specialiter carum commissio sibi plena legationis officio, & concessa sibi plenaria potestate vt euellat & destruat, adificet atque plantet, prout quae secundum datam sibi à Deo prudentiam viderit facienda. Ideoq; vniuersitati vestrae per Apostolica scripta firmiter praecipiendo mandamus, quatenus ipsum, imo verius nos in ipso recipientes hilariter & honorifice pertractantes, eidem tanquam persona nostra intendatis & obediatis humiliter & deuote, ac ipsius salubria monita & statuta irrefragabiliter obseruetis. Alioquin sententiam quam rationabiliter tulerit in rebelles praecipimus vsque ad satisfactionem condignam inuolabiliter obseruari. Datum Laterani II. Calen. Ianuar. anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS OLAO ARCHIEPISCOPO VPSALENS.

Anno 1220. **F**RATERNITATI tuae praesentium auctoritate praecipiendo mandamus, quatenus Vicissimam Ecclesiasticorum prouentuum, nec non & censum de Suecia Ecclesia Romanae debitum colligens diligenter, tam ea quam alia nobis si commode poteris per fideles Nuncios studeas destinare. Alioquin Venerabili Fratri nostro. Lunden. Archiepiscopo fideliter assignare procures, quantitatem eorum nobis fideliter rescripturus. Datum Lateran. II. Calend. Febr. anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS VNI- VERSIS CHRISTI FIDELIBVS PER Regnum Succiae constitutis.

Anno 1220. **C**VM ex censu in quo Sedi Apostolica tenemini annuatim appareat manifeste, vos esse Sacrosanctae Romanae Ecclesiae filios speciales, & ob hoc speciali eiusdem protectione ac patrocinio gaudeatis, miramur non modicum, quod sicut Venerabilis Frater noster. Arosien Episcopus suis nobis litteris intimauit, censum ipsum iam à quinquennio & amplius, licet ab eodem Episcopo fueritis requisitus in animarum uestrarum periculum soluere neglexistis. Vt igitur diuinam & Beati Petri cui census debetur huiusmodi euitetis offensam, Vniuersitatem uestram monemus & hortamur in Domino in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus Deo & Apostolicae Sedi satisficientes congrue de subtracto sic deinceps censum ipsum hilariter persoluatis, quod Dei, qui datorem hilarem diligit, gratiam consequi, & Apostolicae sedis fauorem mereamini plenius obtinere. Alioquin sententiam, quam id. m. Episcopus propter hoc rationabiliter tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus auctore Domino inuolabiliter obseruari. Datum Laterani tertio Nonas Ianuarij. Pontificatus nostri anno quinto.

HONORIVS PAPA TERTIVS IL- LVSTRI REGIS SVETIAE.

Anno 1222. **I**VSTVS Dominus in omnibus vijs suis, qui unicuique pro meritis condigna retributione respondet; circa negotium terra sanctae spem populi Christiani fouit aliquando prosperis, & interdum debilitauit aduersis. O quantum Christianicis videbatur arridere prosperitas, O quantum illuxisse credebatur fidelibus salicis aurore successuum, quando Crucesignatorum Exercitus Aegyptum

gyptum aggrediens post turrim captam, post transitum fluminis, post hostes exterritos, in aduersariorum stationibus Castra fixit, & Damiatam, qua robur censebatur Aegypti, auris obsidionis angustis coarctauit. Res quidem agebatur miraculi, cum Dominus qui elegit in firma mundi, ut confunderet fortia, Ciuitatem expugnationi difficilem, eo tempore tradidit gerentibus bellum auius, quo inualuerat multum partis aduersa potentia, & abbreviatus erat non modicum nostrorum numerus bellatorum. Habebat autem in his Vniuersitas Christiana vnde protenderet quasi certa spei fiduciam in futurum. Verum succedentibus prosperis, victores obliui nomen Domini post triumphum dato virtutibus libello repudij, sic cōtraxere cum vitijs quod detrahebant fidei, vbi conuertendi fuerant Infideles, & maior erat peccatorum commissio, vbi maior remissio sperabatur. Qua propter prouocatus Dominus, dexteram in sinistram & gratiam mutauit in iram, citharam nobis vertit in luctum, & gaudium transfudit in marem, cum nostris in manu hostili conclusis, & perditam Damiatam, breui dierū numero sic exinaniti sunt temporis longi labores, quod non solum blasphemorum iniurijs nomen est expostum Christianum, veram etiam quoad aliquos, qui aliquando communicauerant fidei, contemptus datus est ipse Christus. Vnde facta est durior post prosperitatem aduersitas, & eo minus habuit consolationis afflictio, quo minus argumenta prosperitatis praterita subsecuta iactura pati poterant coniecturam: Sed licet iniquitates nostrae quandoque diuiserint inter nos & Deum nostrum, non est tamen aggravata eius auris, ut non exaudiat, nec abbreviata manus eius, ut saluare non possit. Misericordiam quippe non continebit in ira, quin saltem propter nomen suum, ne ulterius blasphemetur in gentibus, potenter exurgens, iudicet causam suam, & exaltans humilem in salutem, iniquos abigat, & cōsternat elatos. Ecce ipse in inspiratione, ut firmiter credimus, Charissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum Imperator semper Augustus & Rex Sicilia, omnis multius arduisque negotijs, quorum onus honorem Imperialis Celsitudinis sequebatur, venit ad nos in Campaniam nobiscum de praedicta Terra subsidio tractaturus, ibique praesentibus Venerabili Fratre nostro, Patriarcha, & Charissimo in Christo filio nostro Ioanne Illustri Rege Hierosolimitano, Bethlehemitano Episcopo, Magistro Hospitalis, Praeceptore Templi, & Magistro Domus Theutonicorum, ac alijs quos ad tractatus huiusmodi diuersis mundi partibus vidimus adhibendos, singulis qua natura negotij requirebat, diligenti meditatione pensatis, idem Imperator ad nostrum beneplacitum & consilium praedictorum transfretandi terminum in Festo Beati Ioannis Baptista post biennium proximo secuturo, prompta voluntate suscepit, corporale super hoc exhibens spontaneus Iuramentum. Denique, ut ad id plenius suum manifestaret affectum, & plus fidei daretur negotio, ac omnino suspicionis contraria scrupulus tolleretur, ad instantiā Patriarchae praedicti & aliorum Orientalium in nostra & fratrum nostrorum praesentia, & multitudinis hominum qui ad colloquium venerant se ducturum in uxorem legitimam filiam Regis eiusdem, iurisiurandi religione firmavit. Sanè probabili praesumptione tenemus, quod à Domino factum est istud, ut votis fidelium optaret successus exoluat, quod praconcepta spei praeludi, promiserunt ad sui restorationem negotij tuum & aliorum Regum ac Principum animos ipse filius summi Regis accendat, qui de secreto Patris in publicum egressus ad seruos ad ima descendit; ut subditis ad summa pararet ascensum, sub testa nostrae mortalitatis sigulus in terris visus, & cum hominibus conuersatus, cui proculdubio expetit & expectat auxilium, causa Christi & probatam Domus tuae potentiam desiderat Terra Sancta. Nunquid non habuit de iuuentutis tuae primitijs, & de maioris aetatis reliquijs quasi de vitae decima non habebit? O quantum accresceret eiusdem terrae subsidio, si de propagata deuotione patris in filios per unum ex ipsis subuenires in tanta necessitatis articulo Crucifixo: O quam magnifice ad succursum deuota Suecia se pararet ut mittendo placeret & misso! Absit ut post terga remaneat qua praecedere consuevit. Absit ut tam salutari Christi seruitio gens tam Christiana se subtrahat. Absit ut qua pro Domino haecenus onera multa sustinuit, in peculiari bello Dei filii soluat militia cingulum, arma relinquat rubigini, animum neget victoria, cum corona non desit victoribus per gratiam & meritum in praesenti, per gloriam & praemium in futuro. Hinc est quod Excellentiam tuam affectuose rogamus Serenissime Regum, & à te instanter exposcimus Christianissime Principum, obsecrantes per Patrem & Filium & Spiritum

Sanctum, per sanguinem Iesu Christi, ut exurgas in adiutorium Christi tui, qui quodammodo in se prodigus & parcus in seruis, temporali morti se tradidit, ut te à faucibus mortis eriperet sempiterna. Exurgas & liberae terram Sanctam, illam in qua salutem humani generis operatus est personaliter ipse Saluator, Exurgas ad contritionem nationis prauae atque peruersae, qua ubi sit Deus Christianorum impropriet, & multis insultat opprobrijs nomini Christiano. Et quidem illatas subditis tuis offensas ulcisceris, & Dei tui non vindicabis iniurias tam atroces? Ad hereditates tuorum manus inuasorum extendi non poteris, & poteris hereditatis Dominice tanto tempore detentores. Ne igitur in Deo periculose dissimules quod iuste non tolerares in homine, pungat cor tuum tui contumelia Creatoris: accendat te zelus fidei Christianae, ut sic in forti manu & extento brachio terra memorata subuenias, quod insinuat nobis subuentionis tuae proposito ante faciem aliorum te fructuose ponamus exemplar, in tuis laudibus gloriantes, tibi que accrescat cumulus meritorum non solum ex ijs quae feceris per te ipsum, sed ex alijs etiam quae facti tui similitudine subsequantur. Datum Lateran. 111. idus April. Pontific. nostri anno 7.

HONORIVS PAPA TERTIVS EPISCO-
PO SCAREN. ET. ELECTO LVNDEN.

Anno 1223.

INTELLEXIMVS quod Vpsalen. Ecclesia dudum viduata pastore Clerus & Populus Vpsalen. praedicta Ecclesia Capitulum non habente sibi Venerabilem Fratrem nostrum. Stragen. Episcopum in executione Pontificatis officij ut dicitur approbatum, cui de vita & moribus laudabile testimonium perhibetur, in Archiepiscopum unanimiter & concorditer postularunt. Supplicanti ergo nobis Charissimo in Christo filio nostro. Illustri Rege Sueciae, & vniuersis eiusdem Ecclesiae Suffraganeis, ac Clero etiam Vpsalen. ut cum Vpsalen. Metropolis propter indomitam consistens in ea gentis induriciam talis sollicitudine pastoris indigeat, qui vinum infundendo & optimum mederi nouerit sauciatus, ad quod satis idoneum praedictum Episcopum assueuerant, postulationi huiusmodi assensum beneuolenti ex causa tam necessaria praerercimus. Nos igitur iuris super hoc rigorem prouidentia temperantes, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus si vobis conluerit de praemissis, eundem Episcopum praeficiatis auctoritate nostra Vpsalen. Ecclesiae in Pastorem, absoluentes ipsum à vinculis, quo Stragen tenebatur Ecclesia, ac transeundi ad praedictam Ecclesiam Vpsalen. tribuatis. Datum Lateran. quarto Idus Februarij, anno octauo.

ERICO ILLVSTRI REGI
SVECIAE.

Anno 1225.

TVAE Sublimitatis deuotio promeretur, ut ad tuam & Regni tui tranquillitatem & pacem paterna sollicitudinis studio intendamus. Hinc est quod personam tuam cum Regno, & omnibus tuis honoribus ac iusticijs sub Beati Petri & nostra protectione suscepimus, & praesentis scripti patrocinio communimus, districtius inhiibentes, ne quis honores tuos ac iura praesumat inuadere, aut quomodolibet temere perturbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae protectionis & inhiibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursum. Datum Reate secundo Idus Augusti Anno Decimo.

DVCI ET MAGNATIBVS
SVETIAE.

Anno 1225.

AD audientiam nostram Venerabile fratre nostro. Vpsalen. Archiepiscopo insinuante peruenit, quod vos personas Ecclesiasticas ad iudicium seculare protrahitis, & auctoritate propria bona occupantes ipsorum, ac eos exactionibus indebitis opprimentes, his & alijs modis eos adeo aggravatis, ut quodammodo deterius conditionis existant, quam Idolorum Ministri sub Pharaone fuerunt in Aegypto. Ille enim alijs seruituti subactis Sacerdotes idolorum in libertate seruauit; vos vero non distinguentes inter prophanum & sacrum Dei viui & veri ministros

stimini contra diuinas & humanas sanctiones subiicere seruituti. Et licet alias super his vobis direxerimus scripta nostra, ab huiusmodi tamen molestiis hactenus quiescere non curastis. Ideoque Nobilitatem rogamus districtius & hortamur, per Apostolica vobis scripta precipiendo mandantes, quatenus pro reuerentia diuina & nostra quiescatu a prefatis iniuriis, & Ecclesias ac personas Ecclesiasticas gaudere libertate debita permittatis. Alioquin sententiam quam idem Archiepiscopus rationally tulerit irremissibiliter ratam habebimus, & faciemus auctore Domino firmiter seruari. Datum Reate Idibus Augusti anno decimo.

GREGORIUS NONVS ILLVSTRI
REGI SVETIÆ.

REGI Regum Reges terra gratissimum exhibent famulatum, qui compatiuntur & dolent Anno 1228.
cum perfectionem patitur sponsa Christi, & tempore persecutionis euidenter ostendit, quod nullus Deo, sed Deus est omnibus preferendus. Sane si dictus imperator Deo & hominibus gratis ingratus Apostolica sedi malum pro bono, pro honore iniuriam, ac odium pro dilectione inique retribuens, non contentus quod negotium Terræ Sanctæ studiosa malignitate peruerit, nunc inhiante aspirat ad concuandam vniuersalem Ecclesiam modis omnibus quibus potest, & libertatem Ecclesiasticam subuertendam, totum sibi quasi reputans desperire, quicquid libertatis vel honoris obtinet sponsa Christi, & nequiter cogitans, quod si Romanam Ecclesiam posset opprimere, Reges atque Regna sit ei facillimum expugnare. Proceffit ad Patrimonium Beati Petri hostiliter occupandum, ubi per Reynaldum natum quondam Ducis Spoletani suum vicarium & ministrum quasdam Terras Apostolica sedis, corruptis earum habitatoribus, sicut inuadi, Prefbyteris & alijs Clericis à Sarracenis impie mutilatis. Vnde nos videntes & dolentes, quod si sius FridERICI iniqua superbia semper ascendens non sistitur, donec eam Iustitia superueniat & conuincat, illius malitia cum auxilio diuino prouidamus Apostolica sedis dexteram opponendam tribus ad hoc exercitiis congregatis. Verum quia hæc non possunt sine grauius sumptibus fieri, ad quas Apostolica sedis nequaquam sufficiunt facultates, tue subuentionis auxilium, tanquam specialis Ecclesia Romanæ filij, super his duximus fiducialiter requirendum, Serenitatem Regiam affectuose rogantes, & monentes attente, quatenus ea quæ super his dilectus filius Magister Simon Scriptor noster, de cuius prouidentia & sinceritate fidei plene confidimus, tibi ex parte nostra proponer, credens tanquam ab ore nostro prolata, taliter eadem studeas adimplere, quod ex hoc tibi merito reddas Romanam Ecclesiam obligatam, & nos grata tibi debeamus vicissitudine respondere. Datum Perusij xii. Calen. Ianu. Pontif. nostri anno xi.

GREGORIUS PAPA NONVS VV. EPISCOPO
QUONDAM MUTINEN. PÆNITENTLARIO
nostro Apostolicæ Sedis Legato.

EX parte Carini in Christo filij nostri. Dacis Regis Illustris fuit propositum coram nobis, quod Anno 1236.
cum sel. rec. Innocentius & Honorius Romani Pontifices Prædecessores nostri sibi duxerint concedendum, ut Terram, quam suis vel suorum laboribus & expensis erigerit de manibus Paganorum Regno suo & eius Ecclesiis applicare, idem personaliter cum exercitu & magnis laboribus ac expensis in Estoniam proficiscens, ad fidem Christi multos cum auxilio eiu. traxit ibidem occupando & firmando inter alia quoddam Castrum quod Reualia nominatur. Sed eo postmodum captiuo fratres Militia Christi in Limonia mandante Magistro Io. Capellano tuo Castrum obsidere prefatum, & sic Custodes ab ipso Rege inibi deputati, illud Mag. & Fratribus d. Ecclesie recipientibus Ecclesia Romana nomine reddiderunt. Quare petebat ut Castrum ipsum cum pertinentiis suis & fructibus perceptis ex eis sibi restitui faceremus. Quia vero prædicto Regi tanquam Catholico Principi & Ecclesia Romana deuoto, nolimus in suo iure deesse, qui sumus omnibus in iustitia debitores, cum constet nobis tam per consensionem Procuratoris eorumdem Fratrum, quam alias d. Castrum per eundem Regem in terra inimicorum fore fundatum, mandamus quatenus
P 4 ipsum

ipsum ad manus tuas nomine nostro recipiens, postquam illius possessionem habueris corporalem dicto Regi Castrum cum pertinentiis suis restituas supradictum: prouiso nihilominus ut inter presatum Regem ex una parte, & supradictos Fratres, & alios qui Castrum detinent memoratum ex altera, firma pax & amicabile compositio intercedat, pactionibus renunciationibus & cautionibus idoneis interiectis, quod pro damnis & iniurijs hinc inde illatis, necnon occasione prouentuum de terris ipsis ipsum Regem contingentibus perceptorum à Fratribus supradictis, vel expensarum quas in eodem Castro uidem fratres asserunt se fecisse, nullatenus de cetero alterutrum se molestant, & super iis omnibus adinuicem se absoluant. Contradictore, &c. Datum Viterbii quarto Idus April. Anno X.

GREGORIUS PAPA NONVS VPSALEN.
ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAGAN-
gancis eius.

Anno 1237. **P**LANTAVIT vineam dextera Domini, eamq; sanguine filii sui voluit irrigari, ut exfluente de Christi latere riuulo fecundata vinum produceret, cuius refectus dulcedine plantator altissimus exultaret. Sed pro dolor, ecce ab apro de sylua exterminium patitur. Ecce singularis seruis eandem suis pastibus demolitur. Nam sicut transmissa ad nos litera vestra continebant, illorum qui Tauesiti dicuntur natio, que olim multo labore ac studio vestro & Prædecessorum vestrorum ad fidem Catholicam conuersa extitit, nunc procurantibus inimicis Crucis prope positis, ad antiqui erroris reuersa perfidiam, cum quibusdam barbaris nouellam Ecclesie Dei Plantationem de Tauesiti funditus Diabolo coadiuuante subuertunt, paruulos quibus in baptismo Christi lumen illuxit, violenter de hac luce subtraçtos interimunt, quosdam adultos extractis ab eis primo visceribus demonibus immolant, & alios usque ad amissionem spiritus arborem circuire compellant. Sacerdotes vero quosdam exoculant, & quibusdam eorum manus & ceteris membris crudeliter mutilatis, reliquos in combustionem & cibum ignis palleis inuolutos exponunt. Sicq; ipsorum Paganorum seruitijs Regnum Suecorum opprimitur, quod de facili extremam libe-
rationem incurret, nisi tibi Dei & Apostolice Sedis auxilio succurratur. Verum cum tanto libentius contra huiusmodi Apostatas & barbaros impugnandos sit à viris Deum timentibus assurgendum, quanto maioribus Ecclesiam Dei damnis affligere cupiunt, qui fidem Catholicam tam destabili crudelitate confundunt, mandamus quatenus viros Catholicos in Regno predicto & vicinis Insulis positos, ut contra eosdem Apostatas & barbaros Crucis signaculum assumentes ipsos viriliter & potenter expugnent, præceptis salutaribus inducat. Nos enim attendentes quod Deo tanto gratior est defensus fidei, quanto ceteris virtutibus anima fides debet pretiosior reputari de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate conspsi illam ob id assumentibus signum Crucis concedimus veniam peccatorum, & ipsos ea volumus immunitate gaudere, quam habituri essent si in terram Sanctam personaliter se transferrent. Datum Laterani quinto Idus Decembris Anno vndecimo.

GREGORIUS PAPA IX. LVNDEN. ET.
VPSALEN. ARCHIEPISCOPI.

Anno 1237. **P**RÆSENTATÆ nobis litera Venerabilis Fratris nostri. Scaren. Episcopi continebant, quod cum idem Episcopus laboribus & ætate contractus in senium iam declinet, tanta corporis & animi infirmitate grauetur, quod impotens penitus est effectus ad exequendum officium Pastoralis. Quare nobis humiliter supplicauit, ut ipsum ab onere sollicitudinis Pastoralis absolueret curaremus, facientes ei, ne in opprobrium Episcopalis dignitatis mendicare cogatur, de bonis Episcopalis, unde congrue sustentari valeat prouideri. Quocirca mandamus quod si est ita, cessantem ipsius recipiat in vice nostra, & de redditibus Episcopalis auctoritate Apostolica prouideatis eidem, unde competenter valeat sustentari, ea temperanti aequitate seruata, ut sibi competens vita conferatis subsidium, & tribulationem Scaren. Ecclesie minime infligatis. Datum Laterani XV III. Calendas Februarij Anno vndecimo.

INNO.

INNOCENTIVS PAPA IV.
PRIORI AC FRATRIBVS ORDINIS
PRÆDicatorvm DE WISBII LIN-
gacopen. Dioc. per Gothlandiam.

QVI IUSTIS CAUSIS HOMINUM PROMOVENDIS PROMPTUM FAUOREM IMPENDIMUS, tanto libentius Anno 1243.
vigilanti cura prosequi pia debemus negotia Iesu Christi quanto Deus homini preferendus esse dignoscitur, & omnis sibi debere reuerentia comprobatur. Igitur cum sicut r. latu fide digno- rum percepimus exultantes, conditor omnium in Liouonia ac Prussia partibus, dilectorum filiorū Fratrum Hospitalium Sancte Marie Theutonicorum Hierosolimitan. ac aliorū fidelium trium- phanti dextera faciente sit multipliciter exaltatus, & spes sit quod ibidem magis ac magis sui no- minis gloria protendatur, si plantationi sue partium earundem fauorem quem in ipso posuimus impendentes opportunum illi per deuotos Ecclesie subsidium procuramus, deuotionem Tuam ro- gamus & hortamur in Domino per Apostolica tibi scripta mandantes, ac in remissionem pe- catorum iniungentes, quatenus in Wisbulingacopen. Dioc. & per Gotblandiam assumpto sancta predicationis officio propter Deum fideles constitutos in illis ad nimiam charitatē, qua Christus nos dilexit & diligit respectum habere, & eiretribuere aliquid pro omnibus que tribuit ipse illis pijs exhortationibus, secundum datam tibi à Deo prudentiam, studeas informare diligenter & sollicitè, petaturi, ut ipsi redempti pretio glorioso, in quos tāquam viros Christianos & Catholico- rum eadem opprobria exprobrantium Christo debent se viriliter & potenter accingant, tanquam Ze- lum Dei habentes ad ampliandam gloriam Crucifixi, & liberandum proximos de manibus paga- norum, profecturi & acturi secundum fratrum consilia Prædicatorum, ita quod & ipsis premium debeatur æternum, & infideles non possint, quod impune Christi nomen impugnaverint gloriarī. Illos vero de Prouincijs & Diocesisibus memoratis, qui Crucis signaculo in Liouonia seu Prussia subsidium insigniti propter paupertatem seu debilitatem illuc nequeunt personaliter proficisci, à voto crucis absoluant, dummodo de bonis suis iuxta proprias facultates congruam subuentionem exhibeant, per manus eorundem fratrum in idem subsidium conuertendam. Nos enim ut quod pro nomine Redemptoris tam digne deponitur, affectu facili compleatur, omnes dictarum Prouincia- rum & Diocesium in succursu eorundem fidelium suscepto propter h. c. crucis signaculo pr. cessuros, nec non eorum familiā & bona omnia, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, sub protectione ac defensione sedis Apostolica, admittentes illis ac alijs, qui iuxta facultatem & qualitatem suam illuc bellatores idoneos in expensis proprijs duxerint destinandos, nec non qui ad subuentionem dictarum Liouonia vel Prussia de bonis proprijs congrue ministrarint, vel qui in alienis expensis illuc accesserint, ibidem ad minus ad vnus anni spatium seruturi, iuxta quanti- tatem subsidij, & deuotionis affectum illam indulgentiam idemq. Priuilegium elargimur, que transiuntibus & subuenientibus in Terra sancta subsidium cōceduntur. Præterea ut præfatum negotium quo pluribus contingit iuuari remedijs prosperitatis optata suscipiat incrementum, præ- sentium vobis auctoritate concedimus, quod illis earundem Ciuitatum & Diocesium, qui ad sole- mnem predicationem accesserint, XX. dies de iniuncta penitentiā relaxare, ac eorum singulis illuc sumpto propter hoc Crucis caractere processeris, qui pro incendijs & iniectioe manuum in Cle- ricos vel alias religiosas personas excommunicationis laqueum incurrerunt, absolutionis benefi- cium iuxta formam Ecclesie valeant impetiri. Prouiso ut passis damna & iniurias satisfaciant competenter, illis dumtaxat exceptis, quorum excessus adeo sunt difficiles & enormes, quod meri- to sint ad sedem Apostolicam destinandi. Datum Anagninē IX. Cal. Octobris anno primo.

INNOCENTIVS PAPA IV. EPISCOPO BERGENS.
ET NIDROSIEN. ET ALFOSIEN. FRATRVM
Prædicatorum Prioribus.

SICUT suis nobis literis Venerabilis frater noster Archiepiscopus Nidrosien. exposuit, re- Anno 1250.
col. mem. Augustinum Nidrosien. Archiepiscopum cum pie vixisset in hoc seculo vitam salutis
docendo

docendo verbis pariter & exēplis, tandem presentis vita cursu fideliter consummato multis miraculis Omnipotens decorauit. Unde cum non deceret eum apud homines sine veneratione relinquere, quem merita & miracula sanctum ostendunt, fuit nobis humiliter supplicatum, ut ipsorum Sanctorum Catalogo ascribere curaremus. Sed quia nobis plene de praeiudicis constare non poterat nos olim Abbati Tautren, & . . . Tautren, Cisterciensis. ac . . . Holmen. Sancti Benedicti Ordinum Prioribus Nidrosien. Dioc. de disse dicimur nostris litteris in mandatis, ut de vita ipsius & miraculis diligenter & sollicitè inquirentes, qua inuenirent, nobis per suas litteras intimarent. Cū autem dicto Abbate interim viam vniuersae carnis ingresso per memoratos Priores, ut pote ad hoc minus idoneos nullatenus super inquisitione huiusmodi, sicut accepimus, processus potuerunt haberi; Nos de vestra circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus si super hoc adeo publica fama in partibus illis inualuit, quod nobis de ipsius vita & miraculis videatur merito super praeiudicis inquire. e, se cuncta interrogatoria qua vobis super bulla nostra mittimus, ac nobis rescribere studeatis, iuxta decretarum addictōs Abbatem & Priorem continentiam litterarum. Alioquin in negotio inquisitionis huiusmodi nullatenus procedatis. Quod si non omnes &c. tu Frater Archiepiscopo &c. Dat. Lugduni Nonis Ianuarij Anno octauo.

INNOCENTIVS PAPA IV.. ARCHIEPISCO-
PO VPSALENS. EIVSQUE VVFRAGANEIS,
& dilectis filiis toti Clero Regni Succia.

Anno 1250.

CV M à nobis petitur &c. vsque affectum. Lecta siquidē nobis ex parte vniuersitatis Vestra petitis continebat, quod cum dudum in Regno sueciae quadam consuetudo, qua corruptela dicenda est verius, inoleat, videlicet ut Cathedralibus Ecclesiis Regni non praeficerentur aliqui, nisi quos in eis institui vel destitui potius per potestatis secularis potentiam, Regis scilicet & Baronum, necnon & ad clamorem tumultuantis populi Regni praedicti, contra sacrorum statuta Canonum contingebant, venerabilis frater noster Sabinen. Episcopus, tunc in partibus illis Apostolica Sedis Legatus, tam detestanda praesumptionis abusum diligenter attendens, ac volens super hoc salubre remedium adhibere, prouida deliberatione statuit, ut in singulis Ecclesiarum ipsarū, in quibus adhuc Capitula nulla erant, vnus Praelatus idoneus, & ad minus quinque Canonici habeantur, per quos eiusdem Ecclesiae, pro tempore vacaturis, possit de futuro Episcopo per electionem Canonice prouideri. Nos igitur vestris deuotis supplicationibus inclinati statutum huiusmodi prouide factum, auctoritate Apostolica confirmantes praesentium tenore statuimus, ne quis de cetero in aliqua Ecclesiarum ipsarum in Archiepiscopum vel Episcopum per abusum huiusmodi praefici debeat. Sed ille praeficiatur, quem eiusdem Ecclesiae Capitulum, vel eorum maior & sanior pars forma seruata Canonice sibi duxerit eligendum, nec quisquam ad iura redditus, & bona ad mensam Episcopalem seu Archiepiscopalem spectantia, vel bona qua apud vos vel quemcunque Successorum vestrorum tempore sui obitus reperiri contigerit, occupare vel inuadere, seu contra dispositionem ipsorum praesumptione damnabili aliquatenus detinere praesumat, qua per Capitulum Ecclesiae, vel alium ad hoc deputatum ab ipsis ad opus futuri Episcopi fideliter conferentur districtius inhibentes, ne aliqua secularis persona contra Statuta huiusmodi quicquam attemptare, aut à vobis vel successoribus vestris homagij vel fidelitatis exigere seu oblatum recipere audeat iuramentum, maxime cum sicut asseritis pro aliquarum receptione regatum seu feudorum obtentu, eisdem Regi & Baronibus, seu aliis personis secularibus obnoxii nullatenus existatis. Nulli ergo, &c. nostra confirmationis & constitutionis, &c. Datum Lugduni VII. Idus Decembris, Anno P III.

Datus est eis super hoc Conseruator. Archiepiscopus Lunden.

INNOCENTIVS PAPA QVARTVS,
EPISCOPO SCARENSI.

Anno 1253.

DI LECTVS filius Theodorus Canonicus Ecclesiae Hamarens. quod licet ipse à Capitulo eiusdem Ecclesiae fuisset in Hamaren. Episcopum postulatus, quia tamen per nos est de alio in Pastorem

Pastorem Ecclesie prefata prouisum, idem Canonicus de sua electione graues labores & expensas non immodicas subit de Norwuegia ad Sedem Apostolicam ueniendo. Cum itaque sicut accepimus Ecclesie Beati Michaelis de Noko Hamaren. Dioc. tanto tempore iam uacauerit, quod ipsius collatio est ad nos per lapsum temporis deuoluta. Nos dictum Canonicum affectu beneuolentis conuocantes, mandamus, quatenus si quod de uacatione ipsius Ecclesie proponitur, ueritate fulcitur, eam prefato Canonico per te uel per alium auctoritate nostra conferas & assignes. Non obstantes quod idem alias beati... sine aliqua indulgentia quibuscumque personis locis uel dignitatibus de partibus illis ab Apostolica Sede concessa, quod suspendi uel interdici aut excommunicari, seu ad prouisionem alicuius compelli non possint, nisi de indulgentia ipsa plene & expresse seu de uerbo ad uerbum in nostris literis mentio habeatur. Contra, &c. Datum Laterani III. Idus Februarij Anno XI.

INNOCENTIUS PAPA QVARTVS,
EPISCOPO LINCOPENSI.

CARISSIMI in Christo filii nostri VValdemari Regis illustris, ac dilecti filij Nobilis uiri Benedicti Ducis Regni Sueciae, ac Regni eiusdem recti a fides in Deum & sincera deuotio in Ecclesiam sanctam eius, erga illos in nobis mouet intimam charitatis affectum, qui quod ad ipsorum salutem & pacem profuturum creditur, nobis suggeret non negandum. Ex parte siquidem predictorum Regis & Ducis fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum Nobilis uir Carolus natus quondam Sisfrugi nepos uiriusque Nobilem mulierem Helenam natam quondam Petri de Torchastat, qua dictum Carolum quarto gradu consanguinitatis contingit ducere cupiat in uxorem, & per coniunctionem huius multa bona eidem Regno prouenire dicantur curaremus in hac parte misericorditer dispensare. Nos igitur attendentes, quod sicut a fide dignis accepimus, ipsius Regni per hoc pax & tranquillitas procuratur, dictorum Regis & Ducis precibus inclinati, presentium tibi auctoritate committimus, ut cum ipsi Carolo & Helena quod non obstante impedimento consanguinitatis huiusmodi se adinuicem matrimonialiter copulare ualeant, auctoritate nostra disponentes. Datum Perusi XI. Calendas Nouembris, Anno decimo. Anno 1251.

ALEXANDER PAPA IV. IERLERO
ARCHIEPISCOPO VPSALEN.

TVA nobis fraternitas intimauit, quod bona memoria VVilhelmus Episcopus Sabinen. Anno 1257, tunc in partibus Sueciae Legatus Sedis Apostolicae statuit, ut quicumque Sacerdos uel Clericus concubinam haberet, publice uel occulte sententiam excommunicationis incurreret ipso facto. Unde cum nonnullos sententia ipsa inuoluerit & inuoluat, prouideri super hoc a nobis eorum saluti humiliter postulasti. Verum quia sepe quod prouidetur ad bonum antiqui hostis inuidia procurante tendit ad noxam & statutum huiusmodi, quod pro animarum curanda salute fuerat editum, tu propter irregularitates, quas Clerici sententia predicta legati multoties contrahunt, tam propter contagiosa poena contagium, qua excommunicati sibi communicantes excommunicationis labem inficiunt animas, ipsis laqueos mortis aeternae parat, & quam plures saepissime laqueo ligatur unius. Nos attendentes quod uarietate personarum & regionum poena sumi prouide varianda, tuis supplicationibus inclinati Fraternitati tuae presentium auctoritate concedimus, ut prefatum Statutum in tua Ciuitate ac Diocesi & Prouincia reuocans ac relaxans dictam sententiam iuxta firmam Ecclesie si absolui per te ab ea Presbyteri & Clerici earundem Ciuitatis, Diocesis & Prouincia cum humilitate petierint sententiam ipsam in poena aliam, quam personarum, locorum, & temporum circumstantiis, prouida circumspectione pensatis earundem animarum saluti magis expedire uideres, possis libere commutare ac dispensare cum illis super irregularitate, quam sic ligati suscipiendo ordines uel celebrando diuina officia seu immiscendo se illis, non tamen in contemptum clauium contraxerunt, iniuncta eis pro modo culpa competentis poenitentia, prout animarum suarum salutem uideris expedire. Prouiso quod idem concubinarii concubinis ipsis a se prorsus abiectionis cautionem exhibeant de illis uel aliis minime resumendis. Datum Vitorbii 7. Cal. Septembr. anno quarto. ALEXAN-

ALEXANDER PAPA IV.
IERLERO ARCHIEPISCOPO
VPSALENS. LINCOPENS. ET
Wibergen. Episcopis.

Anno 1258. **E**X parte charissimorum in Christo filiorum nostrorum VValdemari Suecie ac Christophori Dacie Regum illustrium fuit nobis humiliter supplicatum, vt eidem Regi Suetie, ac nobili mulieri Sophia nepti eiusdem Regni Dacia contrahendi matrimonium ad inuicem & consummandi contractum, ac in eo licite remanendi, non obstante quod eisdem tertia consanguinitatis linea sunt coniuncti, licentiam de benigntate sedis Apostolica largimur. Licet igitur coniugalis contractum copula inter tales fieri canones interdiciant: quia tamen certaratio propter quam sedis eiusdem clementia potest honeste ad predictam inclinari gratiam fuit proposita coram nobis, praesertim quia cum Pagani Regnum Suecia cui vicini existunt incessanter impugnent, villas & Ecclesias eiusdem Regni destruendo & cremando ignis incendio, ac ipsis incolis crudeliter perimendo, per considerationem ipsorum Regum atque Regnorum suorum per huiusmodi matrimonium faciendam, eorumdem Paganorum insultibus melius & salubrius poterit obtuari. Nos eiusdem Regibus omnem quam cum Deo posuimus gratiam facere suadentibus eorum meritis intendentes, Fraternitati vestra, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus si praemissa ratione, ac aliarum necessitatum utilibus causis diligentius inquisitis, & attente perspectis vestra circumsp. ctio videret expedire, eisdem auctoritate nostra peritiam concedatis licentiam, cum ipsis insuper impedimento consanguinitatis huiusmodi dispensando. Datum Anagninae Calendis Martij Anno quinto.

ALEXANDER PAPA QVARTVS STRE-
GINEN. EPISCOPO, ET DILECTO FILIO
Abbati Alwastriae Lincopen. Dioc. & Praeposito
Ecclesiae Lincopen.

Anno 1255. **V**SQVE in senectam & senium in officio Pastoralis curae per ductus Venerabilis Frater noster Archiepiscopus Vpsalen. nobis per suas literas cum instantia supplicauit, vt eius contractus senio & paralytico morbo laborans nequeat pastorale officium, vt expedit adimplere, ac per hoc oneri Pontificalis officii cedere sit paratus, cessionem ipsius recipere curaremus. De vestra igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, mandamus, quatenus consideratis diligentibus circumstantiis vniuersis si Ecclesia Vpsalen. videritis expedire, cessionem recipientes huiusmodi vice nostra praefato Archiepiscopo de bonis Archiepiscopalibus pro sustentatione sua studeatis prouisionem honestam & condignam assignare, ac faciatis eum pacifica ipsius possessione gaudere. Contradictor &c. Quod si non omnes, &c. Datum Laterani XI. Calendas Ianuarij, Anno secundo.

ALEXANDER PAPA QVARTVS AR-
CHIEPISCOPO VPSALENS. LIN-
copen. & Scaren. Episcopis.

Anno 1255. **E**X parte dilecti Filii nobilis viri Ducis Surrvenorum fuit propositum coram nobis, quod ipsi Regni Surrvenorum quod ad ipsum nouiter legitime deuolutum extitit, ac incolatum eius pacificum statum cupiens & tranquillum intendit certas in Regno ipso assignare suis filijs portiones, nolens per hoc fidelium stragem & animarum pericula, quae si hoc non fieret, post ipsius obitum acciderent possent, salubriter curare. Nos igitur eiusdem Ducis vota salubria favore beniuolo prosequi de-

qui delectantes, monemus quatenus quod idem Dux super hoc de prudentum consilio legitime fecerit, auctoritate nostra faciatis sicut iustum fuerit inuolabiliter obseruari. *Conradic, &c. Quod sino &c. Datum Latera. III. Calend. Ianu. anno 2.*

ALEXANDER PAPA QVARTVS ARCHIEPISCOPO VPSALENSI
& Suffraganeis eius.

VESTRA nobis Fraternitas intimauit, quod bone memoria Guillelmus Episcopus Sabinen. tunc in partibus Suecia Legatus sedis Apostolica statuit, ut quicumq; Sacerdos uel Clericus concubinam haberet uel cohabitantem publice uel occulte, tam ipsa concubina quam ipse sententiam excommunicationis incurreret ipso facto. Vnde cum nonnullos Presbyteros & Clericos propter eandem participationem sententia ipsa inuoluerit & inuoluet, prouideri super hoc à nobis eorum saluti humiliter postulastis. Verum quia sepe quod prouidetur ad bonum antiqui hostis inuidia procurante tendit ad nocentem, & Statutum huiusmodi, quod pro animarum procuranda salute fuerat editum, tum propter irregularitates quas Clerici sententia predicta Legati multoties contrahunt, tum propter contagiosa pena contagium, qua excommunicati sibi communicantes excommunicationis labe inficiunt, animabus ipsis laqueos mortis aeternae parant, & quã plures sapissime laqueo ligantur unius. Nos attendentes quod pro uarietate personarum & regionum penae sunt prouide uariandae, uestris supplicationibus inclinati Fraternitati uestrae praesentium auctoritate concedimus, ut praefatum Statutum in uestris Ciuitatibus & Diocesis reuocantes ac relaxantes dictam sententiam, iuxta formam Ecclesiae, si absoluti per uos ab ea Presbyteri & Clerici earundem Ciuitatum & Diocesum cum humilitate petierint, sententiam ipsam in penam aliam, quam personarum, locorum, & temporum circumstantiis prouida circumspectione pensatis, earundem animarum saluti magis expedire uideritis, potestis libere commutare, ac dispensare cum illis super irregularitate, quam sic ligati suscipiendo ordines, uel celebrando diuina officia seu immiscendo se illis, non tamen in contemptum clauum contraxerunt, iniuncta eis pro modo culpa competenti penitentia, prout animarum suarum saluti uideritis expedire. Prouiso quod idem concubinarij, concubinis ipsis à se prorsus abiectis cautionem exhibeant de illis uel alijs minime resumendis, & quod pena eadem ad questum pecuniae seu aliud turpe lucrum, de quo Clerus scandalizari ualeat, minime se extendat. Datum Anagninae tertio nonas Martij anno quinto. Anno 1258.

GREGORIVS PAPA DECIMVS NIDROSIENS. ET FVLCONI VPSALEN. Archiepiscopis.

IN literis quas per uniuersos orbis Principes & Praelatos super generalis conuocatione Concilij destinauimus locum in quo idem Concilium conuenire deberet ex causa diximus subticendum. Pradiximus tamen in illis quod locum eundem ipsis Principibus & Praelatis in mare competenti tempore curaremus. Nobis igitur cum Fratribus nostris huiusmodi loci electionem deducuntibus in exacta discussionis examen, accurrebant hinc inde diuersa, quae discussum uidebantur iudicium alternare. Nec enim praeiit nostra considerationis indaginem, quam graue, quam durum est locum sedis Apostolicae proprium, in quo praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, in quo illorum corpora gloriosa quiescunt, terrarum spatio tam diffuso dimittere, tanto locorum intervallo à peculiari nostro populo Romanae urbis abesse. Conueniens partibus quae Sedi eidem non solum spiritualiter sed & temporaliter subesse noscuntur commoditatem uicinitatis nostrae subtrahere. Quanta ex absentia nostra diuersis Italiae partibus possent imminere discrimina. Quantum partium earundem inueterata scissura pro integranda unitatis obtinendo remedio nostro auxilio indigebatur. Quanta denique oneribus quantis laboribus nos & fratres nostros quorum aliquos aetas, quosdam debilitas, nonnullos infirmitas, & omnes ad hac desuetudo

2

reddit

reddit inhabiles, exponimus non sine rerum dispendiis, quæ quasi pro nihilo ducimus, non sine discriminibus corporum quæ non facile contemuntur. Hæc & alia quæ non posset succinctius sermo percurrere, in partibus istis locum huiusmodi eligendum concludere videbantur. Verum ea quæ in eodem sunt agenda Concilio contrarium suadebant, & specialiter negotium Terra Sanctæ, quam dum Creatori omnium cariorum omnibus Scriptura describit, satis aperte indicatur charissimam proculdubio habendam à nobis, cum soleat quod est in superiori conspectu presentius in subditorum extimatione prestare. Adicit insuper beneficiorum consideratio, quæ inibi humano generi de diuina superabundantia gratia obuenerunt. Siquidem Saluator omnium operatus est in medio illius terra salutem. Ibi sumpsit corporalis natiuitatis initium. Ibi conuersationis humana deduxit tempora. Ibi post probrosa passionis obprobria pro redemptione nostra mortem subiit temporalem, & sui pretiosi effusione cruoris vetus piaculum expiauit. Nunquid igitur non contingent redemptorum corda immensa & innumerabilia beneficia redemptoris? Nunquid non accendent cuiusque præcordia, ut ipsi pro tot quæ nobis tribuit hoc saltem necessitatibus tempore aliquid impendantus? dum Crucis hostes crucifixum habentes ostentui cultores ipsius Christiani nominis professores, ut Christi cultum de terra deleant, incessanter exterminant & conculcant, ipsos debilitantes viribus, extenuantes opibus, & eorum facies replentes ignominia, ipsosque diuersis confusioibus saturantes. Ad vindicandas itaque Redemptoris iniurias, ac redimenda ignominiosa conculcationis obprobria in redemptis, nostrum circa eandem terram Creatoris conformantes affectui, ac debita meditatione penitentes, quod eiusdem Terræ subsidiuum, præcipue de Principum & Prælatorum pender auxilio, quos ultra montes credimus conuenire posse commodius, extinuitimus nosmetipsos, & sub spe illius qui dat lapsu virtutem debilitatem nostram contempsimus, sub ipsius fiducia quasi de sua misericordia nos confortat quod intendimus in eo posse sperantes parvipendimus onera, labores considerate calcamus, & ceteris nostris ac Fratrum nostrorum incommoditatibus in eiusdem considerationis examinatione postpositis, ut Principum & Prælatorum eorundem facilius possimus habere presentiam, ac Terræ prædictæ subuentionem efficaciter promouere. Ciuitatem Lugdunensem quo inibi Concilium cum maiori commoditate conueniatur, de ipsorum fratrum consilio duximus eligendam. Quod nobis tenore præscriptum nuntiantes vniuersitatem Vestram monemus, rogamus & hortamur in Domino apostolica vobis nihilominus auctoritate mandantes, quatenus in prædicta Ciuitate Lugdunen. iuxta præscriptam per prædictas literas formam studeatis omni, quam inenitabilis necessitas non indiget, excusatione postposita in præfixo per easdem literas termino comparere. Datum apud urbem veterem Idibus Aprilis anno secundo.

GREGORIVS PAPA DECIMVS FVLCO-
NI VPSALEN. ARCHIEPISCOPO, ET
vniuersis Episcopis suæ Prouinciæ.

Anno 1273. **S**I mentes fidelium terrenis abdicatis illæcebris recolendis immensis beneficiis nostri Redemptoris intenderent, si ea cælesti lumine illustrante diligenti scrutarentur examine, si frequenter meditationis attentæ conspectui præsentarent, profecto eorum corda concallescere intra ipsius igne in meditantium animis ardescere. Cuius etenim peccatus saxum non emolliret considerata illius humanationis humilitas, in qua Dei filius factus homo extinuit semetipsum formam serui accipiens in similitudinem hominis factus & habitu inuentus ut homo? Cuius viscera non inflammaret caritatis ardore pia consideratio illius humiliationis extrema, in qua ipsi dem factus obediens usque ad mortem ad exprobrantium obprobria coram tonante se velut agnus obmutuit, & sicut ovis ad occisionem ductus, post eorum tumelias & terrores, post spinas & spina, post flagella varia, post diuersa denique genera tormentorum innocens sine causa damnatur, & demum saturatus opprobriis, clauis affixus, aceto & felle potatus, confossus lancea in crucis patibulo tam diræ mortis subiit passionem, mysterium redemptionis nostræ perficiens, sine qua parum nobis natiuitas profuisset. Quis igitur hæc & alia largitatis diuina charismata

infra

infra pectoris claustra debita & frequenti meditatione reuoluens non intus feruida zelo deuotionis accensus ferueat, foris ebulliat, exclamet & dicat, Quid retribuam Domino pro omnibus que retribuit mihi? & non expectato monitoris vel sollicitatoris officio subiungat vltro neus, Calicem salutaris accipiam & nomen Domini inuocabo? Quem non pudeat ingrattitudinis argui, quin potius de infidelitate notari, si Creatori primo benefico Domino, piissimo Redemptori tante necessitatis tempore non assistat, dum hereditatis sue funiculus, terra sancta, quam sibi testatur Scriptura sacra testimonium omnium cariorem in Christianitatis confusionem & dedecus per nominis Christiani blasphemos pro parte maxima occupata tenent, & ad occupationem residui per eosdem instantia infesta persecutionis instituitur, super eo assidue in partibus illis populus Christianus impetitur, & molestis impetitionibus infestatur. Et quidem si facultas resistendi competeret, non pateretur aliquis absque desertæ fidei scrupulo sui Domini temporalis vel vitæ compendioso occupari, & hereditatis Domitica inuisores fideles vltius patientur? Nunquid marcebunt ocio, aut ocios non exurgent ad vitandum tanta nota discrimen? Exurgant itaque qui sunt Christi, & se ipsius esse non solum nomine sed opere fateantur. Exurgant utique in illius auxilium. Exurgant ad salutis sue compendium, & illam breuis laboris pretio compendioso mercantur. Nunc precipue dum in sacro Concilio ad hoc ijs diebus inter cetera immo præ ceteris specialiter congregato, eiusdem Terræ nuper ordinata subuentio sub spe illius de cuius solius clementi providentia, & clementia prouida ordinatio talis & tanta processit, Laboris opatum exitum reponit. Conuenientibus siquidem in eodem Concilio nonnullis Principibus & Prælati de mudi partibus vniuersis, aliorumque Principum Prælatorum & Capitulorum Nuncijs post subsidium pecuniarium communi consensu terræ deputatum eidem, conuenit omnium sententia in id ipsum, videlicet ut in generali passagio, cuius celeriter auctore Domino terminum præfigemus vniuersis Christianis contra blasphemos eosdem constantibus vires suas, quanto erit Christianorum virtus vniua potentior, tanto ad liberationem Terræ prædictæ sit via securior, sit opportunitas promptior, & de illa Deo auspice spes certior habeatur. Ceterum licet ad excitandos eorumdem fidelium animos in terræ memoratæ succursum sufficere debeat solertior attentio præmissorum, licet possit non indigne sperari, quod si fideles ijs quo debent pietatis oculo terram eandem respiciant, si ad persecutionis acerbitatem, quam terra eadem continuis læcessit molstij, ac diuinis vexationibus lassata, perpetitur conuertant pie compassionis intuitum, discriminaque considerent, que per hoc eidem fidei orthodoxæ non est dubium imminere, ad assumendum Terræ sæpèfata negotium se potius ingerent, quam inuitari ad hoc commotionis alicuius suffragio expectabant. Quia tamen speramus quod vocem virtutis tribuet Dominus voci sue, verbum crucis ad promotionem ipsius negotij in vestris Ciuitatibus & Diocesis decretum proponendum, ad quod eo confidentius personas vestras duximus eligendas, quo magis ad id fame vestre claritas & pastoralis officij debitum nos inuitat. Ideoque Fraternitati vestre Prædicationis officium in eisdem Ciuitatibus & Diocesis præsentium auctoritate committimus, in remissionem peccaminum iniungentes, quatenus in huiusmodi officio iuxta datam vobis à Deo prudentiam procedentes, illud efficaciter & prudenter, non obstante quod hoc idem alij forsitan sit commissum exequi studeatis, omnes quos ad hoc viles fore putabitis instantius inducendo, ut suscipientes cum reuerentia signum Crucis, ipsumque suis cordibus & humeris affigentes ad Terræ memoratæ succursum viriliter se accingant, ac ipsius negotium fideliter exequantur. Et ut ijsdem fideles præmissa eo libentius atque seruentius prosequi studeant quo potiore se noverint fructum ex suis laboribus percepturos. Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, & illa quam nobis Deus ligandi atque soluendi contulit potestate omnibus verè penitentibus & confessis, qui huiusmodi laborem saluifera Crucis signo suscepto in personis proprijs subierint & expensis, plenam peccatorum suorum, de quibus corde contriti & ore confessi fuerint, veniam in aulgemus, & in retributionem iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis proprijs illuc accesserint, sed in suis duntaxat expensis iuxta qualitates & facultates suas viros idoneos destinarint illic iuxta prudentiam vestre arbitrium moraturos,

Et illis similiter quilibet in alienis expensis, in personis tamen proprijs assumpta peregrinationis huiusmodi laborem impleuerint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remissionis volumus esse participes iuxta quantitatem subsidij & deuotionis affectum, omnes qui ad subuentionem ipsius negotij de bonis suis congrue ministrabunt. Personas insuper, familias & bona eorum, ex quo Crucem susceperint sub Beati Petri & nostra protectione suscipimus. Statuentes, ut sub Dioecesanorum suorum defensione consistant. Ut autem iidem Crucesignati eo exequantur libentius & feruentius votum suum, quo pluribus fuerint fauoribus communiti presentium auctoritate concedimus, ut iidem illis Priuilegijs eaque immunitate gaudeant, que in generali Crucesignatorum indulgentia continentur. Et quod per sedis Apostolicae literas, vel legatorum ipsius extra suas Dioeceses, nisi illa que ab eadem sece obiecta fuerint, plenam de huiusmodi indulto mentionem fecerint, non valeant conueniri, dummodo parati existant coram suis ordinarijs de se querelantibus respondere, quos per vos ab ijs Ecclesiastica censura defendi cessante Appellationis obstaculo volumus, qui eosdem contra indultum huiusmodi predictaue Priuilegia & protectionis nostra tenorem presumpserit temere molestare. Ita tamen quod aliquis vestrum de ijs qua iudicalem indaginem exigunt, & indultum Priuilegiae huiusmodi, seu personas familias & bona Crucesignatorum ipsorum n. contingant, se in hac parte nullatenus intromittant. Si qui vero illuc proficiscentium ad prestandas vsuras iuramento tenentur astricti, Creditores eorum per vos vel alios sub lato appellationis obstaculo districtione simili, ut iuramenta huiusmodi penitus relaxantes, ab vsurarum ulterius exactione desistant. Si autem quisquam Creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, ipsum ad restitutionem earum eadem districtione sublato Appellationis obstaculo compellatis. Iudaeos quoque ad remittendas ipsi vsuras per sacularem compelli precepimus potestatem, & donec eas remiserint ab omnibus Christi fidelibus tam in mercimonijs quam alijs sub excommunicationis pena inebemus communionem illis omnimodam denegari. Porro ad huiusmodi ardui & salubris negotij efficaciam plenorem, ut vos conuocare possitis Cleros & populos ad quemcunque volueritis locum idoneum, & ibidem verbum Crucis proponere, ac fidelibus vere penitentibus & confessis ad predicationem huiusmodi conuenientibus, ipsamque auaricis reuerenter, centum dies de iniunctis eis penitentijs relaxare, quodq; vobis & vestris familijs in Ecclesijs Ecclesiastico interdico suppositis excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, voce sumissa, & ianuis clausis diuina celebrare officia & facere celebrari, ac populis proponere verbum Crucis, atq; Crucis caractere insignitis, ab excommunicatione qua pro eo quod sepulchri dominici contra prohibitionem legatorum sedis Apostolicae visiterunt, & illos etiam qui eam pro eo quod Saracenis merces portauerunt, & arma seu alia prohibita vel eisdem contra Christianos impenderunt auxilium, consilium vel fauorem, dummodo quicquid ex huiusmodi damnato acquirere commercio, & aliud tantum de suis facultatibus in manibus vestris assignent, in Terra predicta subsidium conuertendum, nec non tam Clericos quam Laicos crucesignandos, qui pro v. l. m. iniectione manuum in Clericos saculares virosq; religiosos, vel pro incendio seu sacrilegio inciderrunt in canonicam sententiam promulgata absolueri iuxta formam Ecclesie vice nostra illis exceptis, quorum fuerit excessus difficilis & enormis, & cum Clericis Crucesignatis, qui cum excommunicationis sententiam latam a canone vel ab homine incurrisserint, se diuini immisererunt officij, & receperunt ordines sic ligati, dummodo passis damna vel iniurias satisfactant competenter, & negotium huiusmodi in proprijs prosequantur personis: vel ad hoc expensis suis idoneos bellatores transfuerint, vel de bonis proprijs iuxta eadem arbitrium aliquod impendant subsidium, dispensare possitis auctoritate Apostolica vobis duximus concedendum. Prater ea nonnulli Clerici & Laici non ratione Ecclesiarum pacifice & sine controuersia, quasdam dicuntur decimas possidere, quod vobis sit liberum de fructibus earundem perceptis hactenus eisdem Clericis & Laicis dimittere quintam partem eisdem concedere, quod residuum fructuum eorundem in predictum conuertere subsidium per se ipsos vel vobis si voluerint exhibere in idem negotium conuertendum, ita quod ipsi ad restitutionem aliam de pramissis omnibus minime teneantur, sed inde maneant penitus absoluti; dummodo decimas ipsas Ecclesijs dimittant in posterum ad quas spectant, auctoritate concedimus supradicta. Amplius cum sedes predicta olim centesimam proventuum Ecclesiastico

siasticorum per omnia Christiana Regna subsidio deputauerit supra dicto, nec sit conueniens quod simul pro terra praefata duo subsidia colligantur, noscentesimam huiusmodi remittentes in locis in quibus non exiit per executores indicta volumus & mandamus, ut singuli vestrum per se vel alios centesimam ipsam in locis tibi subditis in quibus indicta fuit, & non exiit per soluta a tempore quo indicta fuit, vsque ad tempus praedicta decima.

Legata quoque in eisdem locis subsidio praedicto relicta. Omnes quoque obuentiones undecunque & qualitercunque ipsi subsidio in locis, prouenientes eisdem tam pro tempore praeterito quam futuro colligatis integraliter, & fideliter conseruetis, eaque omnia penes illos qui decimas per nos eidem subsidio deputatam custodierint, ad opus praedicti subsidij deponatis. Facientes nihilominus quod de Trunco in supra dicto Concilio ordinatum exiit obseruari. Videlicet ut in singulis Ecclesijs truncus ponatur concavus tribus clauibus consignatus, prima penes Episcopum, secunda penes Ecclesiae Sacerdotem, tertia per aliquem religiosum laicum conseruandis, & in eo fidelis quilibet, iuxta quod Dominus eorum mentibus inspirauerit suas elemosynas deponere in remissionem suorum peccaminum moneantur, & in ipsis Ecclesijs semel in hebdomada pro remissione huiusmodi peccatorum & praesertim offerentium Elemosynas certa die, quam tamen Sacerdos pronunciet populo, missa publice decantetur. Concedimus insuper, ut si aliqui Crucesignatorum infra tempus a nobis ad votum exequendum huiusmodi assignandum decesserint, illarum indulgentiarum & gratiarum sint plene particeps, quae obcurrentibus in eiusdem Terra seruitio sunt concessae. Commutandi ad haec a personis earundem Diocesum emissum ieiuniorum, ac cuiuslibet peregrinationis votum in negotij praedicti subsidium, ac etiam per censuram Ecclesiasticam Crucesignatos quoslibet cuiuscunque dignitatis vel conditionis fuerint compellendi, ut in eodem termino illud exequantur, ad terram praedictam accedant, vel ipsum redimant, si legitimo fuerint impedimento detenti, & vos pensatis personarum, & alijs circumstantijs illud videritis redimendum. In hoc autem & alijs praemissis articulis, in quibus aliqua vestra circumspectionis arbitrio relinquuntur, maxime sic vestras conscientias oneramus, ut in die stricti examinis teneamini exactam reddere rationem. Deputandi quoque personas idoneas in eisdem Diocesibus ad redemptiones huiusmodi fideliter colligendas, & sub testimonio fidelium consignatas deponendas in tuto, quousque per nos dispositum fuerit, qualiter in huiusmodi subsidium conuertantur, vobis plenam tribuimus facultatem. Volumus praeterea & concedimus, ut vos qui in officio praedicationis Crucis pro presenti negotio per triennium duxeritis laborandum, illis immunitate ac Privilegijs gaudeatis, illisque indulgentijs, etiam si infra ipsum triennium cum intentione decedatis huiusmodi sitis participes, quae personaliter in terra praedicta subsidium transfretantibus in generali Concilio noscuntur esse concessa. Volumus insuper & praesentium auctoritate districte praecipimus, quod in praemissis exequendis sitis solliciti & attentissimi, nec in illorum executione aliter aliter impediat vel perturbet. Non obstante si aliquibus quod excommunicati, suspendi vel interdicti non valeant, a dicta sede forsi an sit indulgentium, & quibuslibet alijs indulgentijs, seu litteris ab eadem sede obtentis, per quae praedicta impediri vel differri possunt, & de quibus specialem oporteat in praesentibus fieri mentionem. Datum Lugduni XV. Calendas octobris anno tertio.

GREGORIVS PAPA X. FVLCONI
ELECO VPSALEN.

CVM nos Venerabili fratri nostro . . . Arusien. Episcopo nostris dederimus litteris in Anno 1273. mandatis, ut tibi quem nuper Vpsal. Ecclesiae praefecimus in Archiepiscopum & pastorem ascitis sibi duobus vel tribus Episcopis munus consecrationis impendat, ne te oporteat ad eandem sedem Apostolicam pro obtinendo ab ipsa pallo, quod est insigne Pontificalis officij accedere seu nuntium destinare, ac exinde laboribus seu sumptibus fatigari, tuis supplicationibus annuentes, pallo ipsum per te cum ea quoaddeet instantia postulatum, de Beati Petri corpore

sumptum, per Rogerium Canonicum Ecclesie Vpsallen. assignandum tibi per eundem Arusen. Episcopum ei duximus destinandum, ut postquam consecrationem ipsam receperis, illud tibi assignet sub forma, quam ei sub bulla nostra mittimus interclusam, & a te nostro & Ecclesie Romana nomine sub forma quam sub eadem bulla eidem dirigimus fidelitatis recipiat iuramentum. Volumus autem quod per hoc Lunden. Ecclesia, cui predicta Vpsallen. Ecclesia subesse dicitur nullam preiudicium generetur. Tu vero illo intra Ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressim in ipsius Ecclesie Priuilegijs continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius illud serues in mente, discretionem tuam monemus & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus humilitatem & iustitiam dante Domino, qui dat munera & premia elargitur obseruare studeas, que suum seruant & promouent Seruatorem, ut Vpsall. Ecclesiam sponsam tuam cures sollicitè auctore Domino spiritaliter & temporaliter augmentare. Datum Lugduni XV. Calend. septem. anno tertio.

ISRAELI EPISCOPO
ARVSIENS.

Anno 1173.

DILECTVS Filius Fulco Vpsallen. Electus nobis humiliter supplicauit, ut sibi quem nuper de Fratrum nostrorum consilio Vpsallen. Ecclesie in Archiepiscopum prefecimus & Pastorem impendi munus consecrationis in illis partibus mandarem. Nos igitur Electi supplicationibus inclinati, Fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo, ascitis tibi duobus vel tribus Episcopis, sublato cuiuslibet difficultatis obstaculo, predictam manus consecrationis impendas. Ne vero prefatum Electum oporteat ad sedem Apostolicam pro obtinendo ab ipsa palleo, quod est in signo Pontificalis officij accedere, seu Nuntium destinare, ac exinde laboribus seu sumptibus fatigari. Nos ipsius Electi supplicationibus annuentes, pallenem ipsum per eum a nobis cum ea qua decuit instantia postulatum de corpore Beati Petri sumptum, per Rogerium Canonicum Ecclesie Vpsallen. tibi assignandum sibi per te duximus destinandum, ut postquam consecrationem predictam receperit, ei illud assignes sub forma, quam tibi sub Bulla nostra mittimus interclusam, & ab ipso nomine nostro & Ecclesie Romana sub forma, quam tibi sub eadem bulla dirigimus fidelitatis recipias iuramentum. Volumus autem quod Lunden. Ecclesia, cui predicta Vpsallen. Ecclesia iure primatia subesse dicitur, nullum per hoc preiudicium generetur. Formam autem iuramenti quod ipse prestabit de verbo ad verbum nobis per eundem patentes litteras suo sigillo signatas per primum nuntium studeas quanto citius destinare. Datum ut in proxima.

GREGORIVS PAPA X. FVLCONI
ELECTO VPSALLEN.

Anno 1273.

IN suprema dignitatis specula licet immeriti, disponente Domino constituti, cuius continuis angimur & pulsamur sollicitudinibus successibus, ut de personis illis prouideatur Ecclesijs Pastoribus viduatis, quorum industria & virtute eadem Ecclesie in suis iuribus & libertatibus conseruentur, reddatur tranquillior Cleri status, & commodis salutis & gaudijs plebs laetetur. Sane dudum Vpsallen. Ecclesia destituta Pastore, ac ipsius prouisione ad sedem Apostolicam deuoluta felicitis recordationis Clemens Papa Praecessor noster de dilecto filio Sacherio Prapposito Ecclesie Lunden. in illis partibus commorante duxit eidem Vpsallen. Ecclesia prouidendum. Verum dilectus Prappositus prouisionem huiusmodi de se factam cum ad eius peruenit notitiam non acceptans, ei renuui consentire, ac renunciant expresse, prout exhibita nobis ipsius Prappositi littera continebant. Nos igitur de ipsius Vpsallen. Ecclesie ordinatione sollicitè cogitantes, ac talem illi praesse Pontificem cupientes, per quem possent eadem Vpsallensis Ecclesia salubriter gubernari, direximus in te Fulconem, tunc Archidiaconum

conum Vpsallens. oculos nostra mentis, quem nobis & Fratribus nostris de litterarum scientia, morum maturitate, prudentia spiritu luum, & temporalium, prouidentia fide dignorum testimonio commendauit, teque de ipsorum Fratrum consilio prefata Vpsallen. Ecclesia prefecimus in Archiepiscopum & Pastorem, firmam spem fiduciamque tenentes, quod eadem Ecclesia Deo auctore, per tua industria ac circumspectionis fructuosum studium preseruabitur à noxijs & spiritualibus & temporalibus proficiet incrementis. Tolle igitur iugum Domini tam leue collis humilibus quam suauis, ac in dilectione Domini pascendum suscipe gregem eius super quem noctis vigilijs diligens sollicitusque custodi, ut liber non pateat aditus inuasori, & Dominus in suspirabili hora uenturus si te inuenies sic agentem cursu consummato, qui tuo labori proponitur, & eorum fide seruata, qua tue sollicitudini committuntur, te fidelem compertum in modico supra multa constituat, ac in dilecta gaudiorum suorum tabernacula introducat. Datum Lugduni XVI. Calendas Septembris anno tertio.

In eodem modo Capitulo Vpsallen. Ecclesia. In suprema dignitatis speculi &c. ut in proxima usque gubernari, diximus in dilectum filium nostrum Fulconem Electum tunc Archidiaconum Vpsallen. Ecclesia oculos nostra mentis, quem &c. usque incrementis, ut in eadem proxima uerbis competenter mutatis. Quocirca Vniuersitati uestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus eidem Electo tanquam Patri & Pastori animarum uestrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ei obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam, eius salubria monita & mandata suscipiatis hilariter & efficaciter adimplere curetis. Alioquin sententiam quam eidem ritè tulerit in rebelles, ratam habebimus & faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inuolabiliter obseruari. Datum ut supra.

In eodem modo Clero Ciuitatis & Dioc. Vpsallen.

In eodem modo vniuersis Episcopis suffraganeis Ecclesia Vpsallen. In suprema &c. ut in proxima usque incrementis. Quocirca vniuersitati uestra per Apostolica scripta mandamus quatenus dicto Electo tanquam membra capiti obsequentes exhibeatis ei obedientiam & reuerentiam debitam & deuotam. Ita quod mutua inter uos & illum gratia gratos sortiatu effectus, & nos deuotionem uestram possimus propter hoc non immerito commendare. Alioquin &c. ut in III. proxima. Datum Lugduni XVI. Calendas septembris anno tertio.

In eodem modo populo Ciuitatis & Diocesis Vpsallen. In suprema &c. usque incrementis. Quocirca Vniuersitati uestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi Electo tanquam Patri & Pastori animarum uestrarum plene ac humiliter intendentes, exhibeatis eidem honorificentiam & reuerentiam debitam & deuotam, eius salubria monita & mandata suscipiendo hilariter & efficaciter obseruando. Alioquin sententiam sue penam &c. Datum ut in proxima.

NICOLAUS PAPA III. IACOBO
ELECTO VBSALLEN.

M V N V S confirmationis & consecrationis te ritè à Venerabili Fratre nostro . . . Anno 1277
chiepiscopo Lunden. Suetia Primatè obtinuisse proponens concedi per nos tibi pallium insignie quidem plenitudinis officij pastoralis instantia qua decuit postulasti, dilectis filijs Andrea Canonico Vpsallen. & Simone Rectore Ecclesia de Giristum Vpsallen. Dioc. Procuratoribus tuis ad nostram propter hoc presentiam destinatis. Sane postmodum dilecto filio Petro Canonico Lunden. Procuratore dicti Archiepiscopi proponente fore dudum auctoritate indulti Apostolici obseruatum, uidelicet quod huiusmodi pallium debet etiam Archiepiscopo presentari, per eum postmodum Electo Vpsallen. iradendum, tuisque Procuratoribus asserentibus contrarium esse seruatum à tempore cuius memoria non existit. Nos super hoc de congruo remedio prouidere volentes, Venerabilibus Fratribus nostris . . . Lincopen. & . . . Roskilden. Episcopis pallium de corpore Beati Petri sumptum, ut illud tibi uice nostra iuxta formam quam eis mitimus, ipsi uel eorum alter assignent & tradant, & à te iuxta formam quam similiter eis dirigimus fidelitati iuramentum per dictos Canonicum Vpsallen. & Rectorem prouidimus destinandum.

dum. Nolentes quod per hoc Lunden. praeiudicium generetur, Vpsallen. vero Ecclesis iu-
 uum aliquod acquiratur. Tu autem illo intra Ecclesiam tuam illis diebus utaris, qui expressi
 in ipsius Ecclesia Privilegij continentur. Vt igitur signum non discrepet à signato, sed quod geris
 exterius intus serues in mente discretionem tuam monemus & hortamur attente, quatenus hu-
 militatem & iustitiam dante Domino, qui dat munera & premia elargitur conservare studeas,
 quae suum seruant & promouent seruatorem, & Vpsalleo. Ecclesiam sponsam tuam cures sollicite
 auctore Domino spiritualiter & temporaliter augmentare. Datum Roma apud sanctum Petrum
 Nonis aprilis anno primo.

In eodem modo Andrea Canonico Vpsal. & Simoni Rectori Ecclesia de Pirissum Vpsal.
 Dioc. Munus confirmationis &c. ut in proxima verbis competenter mutatis usque providere
 volentes. Venerabilibus Fratribus nostris Lincop. & Roskildn. Episcopis, per vos de quorum fi-
 delitate plenam in Domino fiduciam gerimus palleum ipsum de corpore Beati Petri sumptum,
 per eos eidem tradendum Electo prouidimus transmittendum, recepto à vobis, quod ipsius palli
 assignationem iuxta mandatum nostrum prosequimini, fidelitatis iuramento. Quocirca discre-
 tioni Vestra per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Episcoporum ipsorum praesentiam
 personaliter accedentes, eis supradictum palleum per ipsos sicut praedicitur memorato Electo tra-
 dendum praesentare fideliter studeatis. Volumus autem quod si alterum vestrum medio tempore
 infirmari, aut alias impediri seu decedere fortasse contigerit, superstes nihilominus dictum pal-
 leum iuxta praemissum modum eisdem Episcopis representet, quod si forte vos ambos quod auct-
 tat Deus, antequam huiusmodi praesentatio fiat, obire contigerit, praueuiatis opportuna sollicitu-
 dine horam mortis, ipsumque Palleum apud Cathedralē vel religiosam Ecclesiam illius loci, ubi
 vos Omnipotens Deus de hac vita vocauerit, deponatis fideliter dictis Episcopis, iuxta formam
 vobis traditam sicut mandauimus quantocius fieri poterit assignandum. Nolumus autem quod
 per hoc Lunden. generetur praeiudicium, Vpsallen. vero Ecclesis ius nouum aliquod acquiratur.
 Datum ut supra.

In eodem modo Venerabilibus Fratribus Henrico Lincopen. & Roskildn. Episcopis,
 Munus confirmationis ut in alia usque prouideret volentes, vobis per eisdem Canonicum Vpsal.
 & Rectorem, de quorum fidelitate plenam in Domino fiduciam gerimus, palleum ipsum de Bea-
 tri Petri corpore sumptum per vos eidem tradendum electo prouidimus destinandum ab ipsis
 Canonico Vpsallen. & Rectore iuramento recepto, quod ipsius Palli assignationem iuxta man-
 datum nostrum fideliter prosequantur. Quocirca Fraternitati Vestra per Apostolica scripta mā-
 damus, quatenus vos vel aliter vestrum dictum palleum de manibus ipsorum Canonici Vpsal. &
 Rectoris debita reuerentia & deuotione suscipientes, illud vice nostra eidem Electo sub forma
 quam vobis sub bulla nostra transmittimus assignetis, recepturi ab eo postmodum nostro & Ro-
 mane Ecclesiae nomine fidelitatis debita solitum iuramentum, iuxta formam quam sub bulla si-
 mili vobis mittimus introclusam. Formam autem iuramenti quod idem Electus praestabit, no-
 bis per suas patentes litteras eius sigillo munitas, & per proprium Nuncium quantocius trans-
 mittatis. Nolumus si quidem quod per hoc Lunden. generetur praeiudicium, Vpsallen. vero Eccle-
 sis ius nouum aliquod acquiratur. Datum ut supra.

NICOLAUS PAPA TERTIVS CHARISSI-
 MO IN CHRISTO FILIO REGIS SVE-

tiae Illustri.

Anno 1278. **I**LLAM in desiderijs Regis sperantes deuotionis sinceritatem haberi, quae mentem tuam sol-
 licitat ad negotium Terrae sanctae saluiter dirigendum, serenitatem Regiam rogamus attente,
 quatenus ob reuerentiam Regis Regum, cuius res agitur, pecuniam decime, in Regno tuo colle-
 ctā, in eiusdem Terrae subsidium conuertenda, extra idem Regnum extra hi libere patiaris, & ad
 id prospere peragendum praestes plena securitatis fauorē: ita quod ex hoc diuina Maiestatis gratia
 vberius merearis, nosque zelum quem habes ad procurandam praedictae Terrae prosperitatem, di-
 gnis in Domino Laudibus commenderis. Dat. Roma apud Sanctum Petrum XI. Cal. Iul. an. II.

MARTI

MARTINVS PAPA QVARTVS CHA-
RISSIMO IN CHRISTO FILIO MAGNO

Regi Suuorum illustri.

QVANTO personam tuam maiori prosequimur abundantia caritatis, tanto liberalius votis tuis libenter annuimus in his potissime, qua proficiunt ad salutem. Regis itaq; supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus: vt aliquem idoneum Presbyterum Religiosum vel seculari quociescunq; opportunum fuerit tibi eligere valeas Confessorem, qui audita confessione tua tibi auctoritate nostra pro peccatis tuis qua sibi confiteberis, penitentiam salutarem iniungens, super his beneficium debita absolutionis impendat: nisi talia fuerint, propter que sedes Apostolica sit merito consulenda. Idem quoque vota per te emissa, Hierosolymitan. ac continentia voto excepto, hac vice eadem auctoritate commutare valeat in alia opera pietatis, prout anima tua saluti viderit expedire. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae concessionis infringere &c. Datum apud Vrberem veterem X. Calend. decem. anno pr.

Anno 1281.

HONORIVS PAPA QVARTVS VENE-
RABILI FRATRI J. ARCHIEPISCOPO

Lunden.

PALLEVM in signe Pontificalis officij fuit a nobis pro dilecto filio Magno Electo Vpsallen. per dilectos filios Petrum Agnetis Canonicum Lunden & Hermingum Clericum Vpsallen. Dioc. Nuntios cum ea qua decuit instantia postulatum, & dum de concessione ipsius Pallei ageretur, idem Petrus pro parte ipsius Ecclesie Lunden. asseruit dictum palleum tibi specialiter fore mittendum per te assignandum Electo praedicto, praedens per privilegium Apostolicum apparere, quod Archiepiscopus Lunden. Primatum obtinens, praesit Archiepiscopa Vpsallen. & quod cum expediat Palleum impetratum a Romano Pontifice per Nuncios Ecclesiarum earundem ad ipsam Lunden. portetur Ecclesiam, & per Lunden Archiepiscopum Vpsallen. Electo consecrato in Archiepiscopum tribuatur. In registro quoque sel. rec. Gregorij Papa Nomi Praedecessoris nostri noscitur esse reperitum, quod olim Palleum petiitum per Canonicos Ecclesie Lunden. Nuntios tunc pro Vpsallen. Electo fuerat Antecessori tuo Archiepiscopo Lunden. transmissum eidem Electo per eundem Archiepiscopum assignandum. Sed eodem Hermingo pro dicta Vpsallen. Ecclesia in contrarium asserente praedicta non fuisse seruata. Nos praecauere volentes, ne dicta Ecclesia sub talibus anfractibus dispendium patiantur, huiusmodi petitioni duximus annuendum, & per eosdem Petrum & Hermingum dictum Palleum de corpore Beati Petri sumptum tibi transmittimus assignandum eidem Magno Electo, vt illo intra Ecclesiam suam illis diebus viatur, qui expressi in ipsius Ecclesie Vpsallen. Privilegijs continentur. Quocirca Fratemitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus illud auctoritate nostra Electo assignes eidem sub ea forma, quam tibi sub Bulla nostra mittimus introclusam, & ab eo nomine nostro & Ecclesiae Romanae sub forma quam sub eadem Bulla tibi dirigimus fidelitatis recipias Iuramentum. Formam autem Iuramenti quod ipse praestabit nobis per eiusdem patentes litteras suo sigillo signatas per proprium Nuntium quanto citius studeas destinare. Caterum non intendimus quod per hoc tibi vel Ecclesiae tuae nouum ius aliquod acquiratur, vel praedicta Vpsallen. Ecclesia in prosecutione sui Iuris, si quod circa praemissa sibi competit quoad petitorium in aliquo derogetur Datum Romae apud Sanctam Sabinam XV. Calend. Iunij anno primo.

Anno 1285.

CLE-

CLEMENS PAPA QVIN-
TVS CHARISSIMO IN CHRI-
STO FILIO... REGIS SVECIAE
illustri,

Anno 1307.

REGNANS in Calis triumphans Ecclesia, cuius Pastor est Pater aternus, cui Sanctorum ministrant agmina, & laudis gloriam Angelorum Chori decantant, in terris ad sui similitudinem & representationem constituit Ecclesiam militantem unigenito filio Dei viui Domino Iesu Christo ineffabili commercio copulatam: in qua idem unigenitus Dei filius a Patre progrediens per illustrationem Praetuli procedentis pariter ab viroque, statuit fidei fundamentum. Sane Romana Ecclesia Mater alma fidelium caput est disponente Domino Ecclesiarum aliarum omnium & Magistra, a qua veluti a primitiuo fonte ad singulas alias eiusdem fidei riuuli derivantur, ad cuius regimen voluit Christi clementia Romanam Pontificem vice sui deputare ministrum, ut instructionem & doctrinam ipsius eloquio veritatis Euangelica traditam, cuncti renati fonte baptismatis teneant & conferrent, & qui sub hac doctrina cursum vitae recte peregerint salui fiant: Qui vero ab ipsa deuierint condemnentur. Ipsa nempe Romana Mater Ecclesia iuxta exigentiam possibilitatis ipsius ad cunctas Orbis Prorincias, in quibus Diuini nominis cultus viget, fideique Catholica obseruantia iuratur, sedula considerationis extendens ac subiciens ab olim sua considerationis examini diuturnae calamitatis angustias illius specialis hereditatis dominica videlicet Terra Sancta ab infidelibus miserabiliter conculcata, in qua idem Patris aterni filius, nostra carnis indumento contactus salutem humani generis pietate ineffabili exitit operatus, quamque sua ipse voluit corporali insignire praesentia, & proprii aspersione sanguinis consecrare, multa sollicitudine studuit eidem Terra retro habitis temporibus quibus potuit remedijs ut eriperet ab ipsis impijs subuenire. Et quia inter ceteros quos professio Christiana Religionis includit Milites ac Fratres Domus militiae Templi Hierosolymitani, sicut est toti Orbi notorium, tanquam speciales eiusdem fidei pugiles, & iam dicte Terra praecipui defensionis ipsius Terra negotium principaliter gerere videbantur, ipsos & eorum Ordinem praefata Ecclesia specialis fauoris plenitudine prosequens, eos aduersus CHRISTI hostes Crucis armavit signaculo, multis exaltauit honoribus, ditauit facultatibus, ac diuersis libertatibus & privilegijs communivit. Hi nimirum cum crederentur in Domini seruitio sub regulari habitu fideliter militare sibi quasi cunctorum manus fidelium cum multiplici erogatione honorum sentiebant multifarie multisque modis propterea adiutrices. Sed pro dolor noua & calamitosa vox de malignitatis Fratrum ipsorum enormitate progrediens nostrum repleuit, immo verius perturbauit auditum. Hac enim vox nuncia lamentationis & gemitus audientibus horrorem ingerit, commouet animos, mentes turbat, & cunctis fidei Christiana cultoribus noua & ineffabilis amaritudinis calicem subministrat, & dum facti seriem eius necessitate poscente depromimus, noster attenuatur pra angustia spiritus, & valetudinis fatigata contractibus membra singula, praenimio dolore tabescunt. Dudum siquidem circa nostra promotionis ad apicem Summi Pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus nostrae coronationis insignia, veniremus, & post tam ibi quam alibi secreta quorundam nobis insinuatio inimauit, quod Magister, Praeceptores, & alij Fratres dicte militiae Templi & etiam ipse ordo, qui ad defensionem patrimonij ipsius Domini nostri Iesu Christi fuerant in transmarinis Partibus deputati, contra ipsum Dominum in scelus Apostasie nephandum detestabile Idolatriae vitium, execrabile facinus Sodomorum & haereses varias erant lapsi. Sed quia non erat verisimile, nec credibile videbatur, quod Viri tam religiosi, qui praecipue pro Christi nomine suum saepe sanguinem effundere, ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur, quique multa & magna tam in diuinis officijs, quam in reuinijs & alijs obseruatis deuotionis signa frequentius protendebant, sua sic essent salutis immemores, quod talia perpetrarent, huiusmodi insinua-

insinuationi ac delationi ipsorum eiusdem Domini nostri exemplis, & canonica scriptura doctrinis edocti, autem nolimus inclinare: deinde vero in cui eadem fuerant facinora nuntiata, non typo auaritia, cum de bonis Templariorum nihil tibi vendicare vel appropriare intendas, immo ea nobis & Ecclesie per deputandos super hoc à nobis administranda, gubernanda, conseruanda, & custodienda liberaliter & deuote in Regno tuo dimisisti, manum tuam exinde totaliter amouendo. Sed fidei Orthodoxa seruire tuorum progenitorum vestigia clara sequens accensus de præmissis quantum licite potuisti te informans, ad instruendum & informandum nos super his multas & magnas nobis informationes per tuos nuncios ac litteras destinasisti. Infamia vero contra Templarios ipsos increbescente validius super sceleribus antedictis; & quia etiam quidam miles eiusdem Ordinis Magna nobilitatis, & qui non leuis opinionis in dicto Ordine habebatur, coram nobis secreto iuratus deposuit, quod in receptione Fratrum præfati Ordinis hac consuetudo vel verius corruptela seruatur Quod ad recipientis vel ab eo deputati suggestionem quæcipitur CHRISTVM IESVM negat, & super crucem sibi offensam spuit in vituperium Crucifixi, & quedam alia faciunt recipiens & receptus quæ non sunt licita, nec humana conueniunt honestati, prout ipse tunc confessus extitit coram nobis. Urgente nos ad id officij nostri debito, vitare nequimus quin tot & tantis clamoribus accommodaremus auditum. Sed cum demum fama publica deferente ac clamosa insinuatione tui, nec non & ducum, Comitum, & Baronum ac aliorum Nobilium, Clari quoque ac populi dicti Regni tui ad nostram propter hoc tam per se, quam per Procuratores & Syndicos presentiam venientium, quod dolenter referimus, ad nostram audientiam peruenisset, quod Magister, Præceptores & alij Fratres dicti Ordinis, & ipse Ordo præfatis & pluribus alijs erant criminibus irreiti, & præmissa per multas confessiones, attestaciones & depositiones præfati Magistri & Principaliū Præceptorum & Fratrum Ordinis præbati coram multis Prælatis & heretica prauitatis Inquiretore in Regno Francie factas, habitas & receptas, & in publicam scripturam redactas, nobisque & Fratribus nostris ostensas, probari quodammodo viderentur, ac nihilominus fama & clamores prædicti in tantum inualuissent, & etiam ascendissent tam contra ipsum ordinem, quam contra personas singulares eiusdem, quod sine graui scandalo præteriri non poterat, nec absque eminenti periculo tolerari. Nos illius cuius vices licet immeriti in terris gerimus vestigijs inherentes, ad inquirendum de prædictis ratione præuia duximus procedendum, multosque de Præceptoribus, Præbyteris, militibus, & alijs Fratribus dicti Ordinis reputationis non modice in nostra presentia constitutos, præstato ab eis iuramento, quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem. Super prædictis interrogauimus & examinauimus vsque ad numerum Septuaginta duorum multis ex Fratribus nostris nobis assistentibus diligenter, eorumque confessiones per publicas manus in authenticam scripturam redactas, illico in nostra & dictorum Fratrum nostrorum presentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio in Consistorio legitimus coram ipsis, & illas in suo vulgari cuiuslibet illorum exponi. Qui persuerantes in illis eas expresse & sponte, prout recitata fuerant approbarunt.

Postque cum Magistro, & præcipuis præceptoribus præfati Ordinis intendentes super præmissis inquirere per nos ipsos, ipsum Magistrum & . . . Francia. . . Terra Ultramarina . . . Normania . . . Aquitania ac . . . Picæunia Præceptores maiores, nobis etiam Picæunis existentibus, mandauimus presentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram presentiam quoquomodo adduci. Nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent quæ continerentur in eorum confessionibus, & depositionibus quas coram Inquiretore prauitatis heretica in Regno tuo præfato presentibus quibusdam Notarijs publicis, & multis alijs bonis viris dicebantur fecisse nobis, & Fratribus nostris per ipsum Inquiretorem sub manibus publicis exhibitis, & ostensis dilectis filijs nostris Berengario tituli Sanctorum Neræ, & Achillei, & Stephano, tituli Sancti Cyriaci in Thermis Præbyteris, ac Landulpho Sancti Angeli

Dicono

Diacono Cardinalibus, de quorum prudentia, experientia & fidelitate indubitata fiduciam obtinemus, commissimus & mandauimus, ut ipsi cum praefatis Magistro ac Praeceptoribus inquirerent tam contra ipsos & alias singulares personas dicti Ordinis generaliter, quam contra ipsum Ordinem super praemissis cum diligentia veritatem, & quicquid super his inuenirent nobis referre, ac eorum confessiones & depositiones per manum publicam in scriptis redactas nostro Apostolatus deferre ac praesentare curarent, eisdem magistro & Praeceptoribus absolutionis beneficium a sententia excommunicationis, quam pro praemissis, si vera essent, incurrerant, si absolutionem humiliter ac deuote peterent ut deberent iuxta formam Ecclesiae impensuri. Qui Cardinales ad ipsum Magistrum & Praeceptores personaliter accedentes eis sui aduentus causam exposuerunt. Et quoniam tam persona quam res ipsorum & aliorum Templariorum in dicto Regno tuo consistentium in manibus nostris erant, quod libere absque metu cuiusquam plene ac pure super praemissis omnibus ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate Apostolica iniunxerunt. Qui Magister & Praeceptores Francia, Terra uiramarina, Normannia, Aquitania, ac Piccardia coram ipsis tribus Cardinalibus praesentibus quatuor Tabellionibus publicis & multis alijs bonis Viris ad sancta Dei Euangelia ab eis corporaliter tacta praestito iuramento, quod super praemissis omnibus meram & plenum dicerent veritatem coram ipsis singulariter, libere, ac sponte, absque coactione qualibet & terrore deposuerunt & confessi fuerunt inter cetera Christi abnegationem & sputionem super Crucem cum in ordine Templi recepti fuerunt, & quidam ex eis se sub eadem forma scilicet cum abnegatione Christi, ac spuiione super Crucem Fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quaedam alia horribilia & inhonestia confessi, quae ut eorum ad praesens parcamus verecundia subicemus. Dixerunt praeterea & confessi fuerunt esse vera quae in eorum Confessionibus & depositionibus continentur, quae dudum fecerant coram Inquisitore haeretica prauitatis. Quae confessiones & depositiones Magistri & Praeceptorum praedictorum in scripturam publicam per quatuor Tabelliones publicos redactae, in ipsorum Magistri & Praeceptorum, & quorundam aliorum bonorum virorum praesentia ac deinde interposito aliquorum dierum spatio, coram ipsis eisdem lectae fuerunt de mandato & in praesentia Cardinalium praedictorum, & in suo vulgari exposita cuilibet eorundem Qui perseverantes in illis, eas expresse ac sponte, prout recitatae fuerant approbarunt: & post confessiones & depositiones huiusmodi ab ipsis Cardinalibus ab excommunicatione quam pro praemissis incurrerant, absolutionem flexis genibus manibusque complois humiliter & deuote accum lacrimarum effusione non modica petierunt. Ipsi vero Cardinales, quia Ecclesia non claudit gremium redeuntis ab eisdem Magistro & Praeceptoribus haeresi abiuratae expresse ipsis secundum formam Ecclesiae auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt. At deinde ad nostram praesentiam redeuntis confessiones & depositiones praedictorum Magistri & Praeceptorum in scripturam publicam per manus publicas, ut est dictum, redactas nobis praesentauerunt, & quae cum dictis Magistro & Praeceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus depositionibus & confessionibus ac relatione inuenimus saepe factos Magistrum & Fratres in praemissis & circa praemissa, licet quosdam ex eis in pluribus & alios in paucioribus grauiter deliquisse. Attendentes autem quod scelera tam horrenda transire incorrecta absque Dei omnipotentis & omnium Catholicorum iniuria non poterant nec debebant, decreuimus de Fratrum nostrorum consilio per Ordinarios locorum, ac per alios fideles & sapientes viros ad hoc deputandos a nobis contra singulares personas ipsius ordinis, nec non contra dictum Ordinem per certas discretas personas, quas ad hoc duximus deputandas super praemissis criminibus & excessibus inquirendum. His nempe quae magis flere cogimur quam narrare cor nostrum passione nimia cruciatur. Et cum tanta proinde nobis immineat gemendi materia, sletum non possumus declinare. Quisnam Catholicus haec audiens nimis non doleat & prorumpat in luctum? Quis fidelis huiusmodi sinistrum euentum intelligens amara non emittat suspiria & verbaque lamentationis & mestitudinis non crucietur cum tota Christianitas huiusmodi doloris sit particeps, & hic casus fideles percutiat vniuersos. Ex his etiam dum ministerio debite considerationis nostra mentis praesentatur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit, &

ad tanta

ad tanta discrimina releuanda suspirat affectus, & elus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum nos sufficere commode non posse sciamus, leuamus oculos nostros ad montem, Montem quidem Dei, Montem vberem, montem pinguem, unde opportunum nobis prouenire auxilium & humiliter petimus, & deuoti speramus. Et quia saubere in his adhibere remedium interest generaliter omnium. Nos cum eisdem Fratribus nostris, alijsque viris prudentibus exacto ac frequenti tractatu prahabito, prout tanta necessitatis instantia exigebat, de ipsorum Fratrum consilio Vniuersale Concilium, sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longaque obseruationis exemplo nos instruit a proximis Calendis Octobris ad duos annos immediate sequentes decreuimus congregandum, ut in eo tam circa dictum Ordinem & personas singulares & bona eiusdem & alia quae statum tangunt fidei Catholicae, quam circa recuperationem & subsidium Terra Sanctae, ac reparationem, ordinationem & stabilitatem Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum & libertatum eorum illa Deo auspice communi consilio inueniatur prouisio, & eiusdem approbatione Concilij roboretur, per cuius salutiferam executionem virtus Altissimi climatis erroribus roborata fide ad tramitem veritatis reductis errantibus, reintegrata eiusdem fidei unitate, extirpatis vitijs, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solida, stabilitate munita, recuperatis deperditis, & eiusdem Terrae statu prospere reparato occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conseruet, nobisque viam aperiat idem ipse qui nouit, & facultatem tribuat ipse qui potest, ut sic in praemissis iuxta intentum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter, quod idem verus eiusdem vniuersalis sponsus Ecclesia ipsam dilectam suam purgatam maculis, munitam virtute, montibus ac ornatam vnam semper habeat & formosam ad sui nominis laudem & gloriam, ad amaranum perfectam robur, fidei pacem, & exaltationem populi Christiani. Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius facilius auctore Domino effectum debitum sortitur, praedictum tempus ad id duximus deputandum. Vnde Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis & Episcopis & dilectis filijs Electis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Praepositis, Archidiaconis, Archipresbyteris, & alijs Ecclesiarum Prelatis exemptis & non exemptis, eorumque Capitulis & Conuentibus per alias nostras litteras precipiendo mandamus, ut iidem Archiepiscopi, nec non & ceteri Episcopi per ipsorum Archiepiscoporum Praeuias constituti, in eisdem litteris nominati, reliquis ipsorum Episcoporum indictis Praeuias remanentibus ad ea quae Pontificale officium exigunt, tam in suis quam illarum dictorum Praeuiarum, qui ad huiusmodi Concilium vniuersale accesserint Ciuitatibus & Diocesis exercenda omni negligentia relegata cunctis, prout talis & tanti negotij qualitas exigat dispositis & paratis, sic medio tempore se accingant ad iter, quod in huiusmodi decreto termino quem eis & alijs peremptorie assignamus in Viennensi Ciuitate nostra iidem Archiepiscopi & Episcopi taliter nominati personaliter, alij vero remanentes Episcopi Electi Abbates, Priores, Decani, Praepositi, Archidiaconi, Archipresbyteri & Pralati, Capitula, & Conuentus per eosdem Archiepiscopos & Episcopos ad praedictum Concilium accessuros, quibus ad omnia quae in eodem Concilio statuuntur fieri & ordinabuntur & fuerint opportuna concedant plenariam potestatem, de qua sufficienter constat per publica documenta, conspectui representent. Quod si forsan ipsis Archiepiscopis, Episcopis accessuris huiusmodi noluerint concedere potestatem eo casu venire, vel alios Procuratores idoneos cum potestate simili ad idem teneantur Concilium destinare. Non obstantibus quibuslibet Privilegijs seu indulgentijs quibuscunque personis, ordini, dignitati seu Collegio sub quacunque verborum forma vel expressione a praedicta sede concessis, per quae positi effectus huiusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari. Mandauimus insuper, ut iidem Archiepiscopi & Pralati per se vel alios viros prudentes Deum timentes, & habentes praeculis omnia quae correctionis & reformationis timam exposcunt inquirentes subtiliter & conscribentes fideliter eadem ad ipsius Concilij notitiam deferant. Et nos nihilominus varijs modis & vijs solers studium & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examine huiusmodi deducta Concilij correctionem & directionem recipiant opportunam. Hoc etiam in eisdem nostris Litteris adiecto ut nullus inobedientiae notiam &

Canonice vltionis acrimoniam vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se munit, vel ex impedimentis itinerum, quae Domino praua in directis, & in vias planas aspera sua omnipotentia conuertens, cessabunt friuole allegationis munimenta confingat, vt à tam Sancti prosecutione operis se subducatur, sed occurrant singuli voluntarij ad id quod & diuina congruit voluntati, & salutem animarum ac vtilitatem respicit singulorum. Ceterum quia multipliciter expedit vt tam celebre Concilium tua & aliorum Catholicorum Principum decoretur praesentia, vt salubri consilio & auxilio fulciatur, Serenitatem Regiam rogamus & hortamur attentius in remissionem tibi peccaminum suadentes, quatenus praescriptis loco & termino in eodem Concilio captata interim ad hoc opportunitate studeas personam interesse, meditatione prouida prudenter attendens, quod in hoc non solum labor quem ad tam sancti & vtilis negotij promotionem assumes, tibi cedit ad meritum, verum etiam aliorum qui ad veniendum ad idem Concilium efficacius tuo inducentur exemplo, & nihilominus vota tua nobis poteris familiaris aperire, quae in omni beneuolentia libenter ad exauditionis gratiam quantum cum Deo ac Ecclesia honore poterimus admittemus. Datum Pictaui secundo Idus Augusti Pontificatus nostri Anno tertio.

IOANNES PAPA XXII. CHARISSIMO
IN CHRISTO FILIO... REGI
Sueciae illustri.

Anno 1316. **I**N deuotione Matris Ecclesiae sicut benedictionis filius perseuerans eius beneplacitis libenter adhaeres, ipsamque veneraris vt matrem cum reuerentia filiali: propter quod Celsitudinem ipsam ad eorum promotionem speramus inuenire paratam, quae ipsius Ecclesiae honorem contingunt, ac nostris & Apostolicae Sedis noueris affectibus placitura. Cum itaque Censuum, qui vocatur denarius Beati Petri in Regno tuo debiti Ecclesiae Romanae à pluribus retroactis temporibus eidem Ecclesiae non extiterit persolutus. Nosque ad conseruationem iurium Ecclesiae iusdem solliciti, vt tenemur, studiis intendentes, collectionem censuum eiusdem dilecto filio. . . Electro & Capitulo Vpsalens. per nostras sub certa forma licentias, duxerimus committendam, Magnitudinem Regiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus Electro & Capitulo supradictis Regii fauoris auxilium circa collectionem huiusmodi quod speramus & credimus in hac parte debere multipliciter existere fructuosum pro nostra & dictae Sedis reuerentia liberaliter largiaris, vt per hoc eiusdem collectionis negotium facilius prosperetur, nosque Celsitudinem Regiam proinde valeamus cum gratiarum actionibus commendare. Datum Auenion. tercio Nonas Febr. anno primo.

ELECTO ET CAPITULO
VPSALENS.

Anno 1316. **L**ICET census qui vocatur denarius Beati Petri in Regno Sueciae Ecclesiae Romanae debitus in eodem Regno per diuersas personas a longis retroactis temporibus nomine ipsius Ecclesiae sit collectus, tamen quia pecunia ex huiusmodi denario collecta ad Cameram sedis Apostolicae non peruenit. Nos nolentes quod eadem Camera dicti denarij iure fraudetur, discretioni Vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel aliqui seu aliquis vestrum per vos vel per alium seu alios omnem pecuniam ex dicto denario hactenus per quoscunque collectam ubicunque detineatur seu etiam conseruetur, nec non & denarium ipsum pro eo tempore quo forte solutus non est, & etiam profuturo vsque ad beneplacitum dictae Sedis nostro & Ecclesiae praedictae nomine petere, exigere, & recipere in bona pecunia studeatis: Nos enim vobis vel aliquibus, seu alicui vestrum per vos vel per alium seu alios petendi recipiendi & exigendi pecuniam & denarium supradictos, necnon & computum & rationem, à quibuscunque de ipsis pecunia & denario iam collectis, ipsosque quitandi de his quae receperitis ab eisdem, necnon Contradiutores quoslibet & rebelles ac impediētes cuiusque praesentiae, dignitatis, status aut conditionis

ditionis existant per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, inuocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus si aliquibus communiter vel diuisim à dicta sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Absoluendi quoque illos qui dictos pecuniam & denarium statutis terminis non soluisent, postquam per eos fuerit integre satisfactum, ab excommunicationis & quibuslibet alijs spiritalibus sententijs, quas propterea incurrisent, ac dispensandi cum eis si persona forent Ecclesiastica super irregularitate si quam sic ligati sententijs contraxissent se diuinis officijs immiscendo plenam concedimus tenore presentium potestatem. Volumus autem quod de illa pecunia summa quam pro dicto censu seu denario recipere nos contingeret nos reddatis per vestras litteras annis singulis certiores. Datum Auenien. II. Nonas Februar. anno.

BENEDICTVS PAPA XII. CHARISSIMO
IN CHRISTO FILIO MAGNO REGI
Sueciae illustri salutem.

Anno 1335.

GRATIAE diuinae premium & humane praconium laudis acquiritur, si per seculares Principes Praelatis praesertim Ecclesiarum Cathedralium regimini praesidentibus honor debitus impendatur. Dudum siquidem Ecclesia Lundena per obitum bonae memoriae Caroli Archiepiscopi Lundena. Sueciae Primatis, qui in partibus illis diem clausit extremum, Pastoris solatio destituta, dilecti filij, Praepositi & Capitulum ipsius Ecclesiae vocatis omnibus debuerunt, voluerunt & potuerunt commode interesse die ad eligendum praefixa, ut moris est, conuenientes in unum, ac sancti Spiritus gratia inuocata deliberantes in ipsius Electionis negotio per viam procedere compromissi dilecto filio Nicolao Bunkasto eorum Canonico seniori assumendi quatuor alios de dictis Capitulo fide dignos, de quibus sibi videretur, & tam sibi quam dictis quatuor sic assumendis per eum providendi ea vice ipsi Ecclesiae de Pastore de seipsis, vel de alio idoneo, de gremio tamen dictorum Capituli, concesserunt unanimiter potestatem usque ad consumptionem vnus candela ibidem a censu tantummodo duraturam; promittentes praefati Praepositi & Capitulum illum in eorum Archiepiscopum accipere & habere, de quo ipse Nicolaus & quatuor assumendi praedicti praefatae Ecclesiae ante consumptionem dictae candela ipsi Ecclesiae ducerent providendum, ipseque Nicolaus Petrum tunc Decanum & dilectos filios Boltingerum Praepositum, Karalum Archidiaconum, & Petrum Suenonis Canonicum eiusdem Ecclesiae in Compromissa nos ad providendum ipsi Ecclesiae iuxta potestatem sibi traditam vna secum assumpsit: Et deinde Nicolaus Praepositus Archidiaconus & Canonici praedicti, vna cum dicto Petro Decano huiusmodi potestate recepta secedentes in parte post multos & varios tractatus, primo intra seipsos & deinde cum singulis de dictis Capitulo habitos, in dictum Petrum Decanum vota eorum concorditer direxerunt, ac praefatus Belingerius ex potestate sibi ac suis Collegis praedictis tradita, vice sua & Colligarum ac Capituli praedictorum ibidem praesentium, & eorum nomine eundem Petrum tunc Decanum in Sacerdotio constitutum, ante dictae candela consumptionem in Archiepiscopum Lundena. elegit, quam electionem praefati Capitulum concorditer acceptarunt, eam postmodum Clero & populo solenniter publicarunt: deinde idem Petrus tunc Decanus electioni huiusmodi de se factae illius sibi praesentato decreto ad instantiam capituli praedictorum consentiens ad sedem Apostolicam personaliter accessit, & tam ipse per se ipsum, quam praefati Capitulum per eorum Oratores, Procuratores, & Nuncios idoneos ad nos propter hoc specialiter destinatos, praesentantes nobis huiusmodi electionis decretum, à nobis cum instantia petierunt, ut electionem huiusmodi confirmare de benignitate Sedis Apostolica dignaremur in praemissis omnibus Statutis à iure temporibus obseruatis: Nos itaque electionem ipsam dictique Electi merita per Venerabilem Fratrem Anibaldum Episcopum Tusculanum, ac dilectos filios nostros Petrum tituli Sancti Martini in montibus Presbyterum, ac Iacobum Sancti Georgij ad velum aureum Diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter, & facta nobis ab eisdem Episcopo & Cardina-

libus super hoc relatione plenaria & fidei, quia praedictam electionem inuenimus de dicto Petro Decano viro vita laudabili, morum honestate decoro, litterarum scientia pradito, in spiritualibus prouido, & in temporalibus circumspecto, & alijs multiplicibus virtutum meritis insignito canonice celebratam, eam de Fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica confirmamus dictumque Petrum Decanum praefatae Lundens. Ecclesiae praefecimus in Archiepiscopum & Pastorem, curam & administrationem ipsius Ecclesiae eidem tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, eidemque postmodum per Venerabilem fratrem nostrum Gantelmum Episcopum Albanen. munus fecimus consecrationis impendi firma spe fiduciaque tenentes, quod eadem Ecclesia per eiusdem Electi circumspectionis industriam prospere dirigetur, & salubria dante Domino suscipiet incrementa. Cum itaque fili charissime sit virtutis opus Dei ministros benigno fauore prosequi eos verbis & operibus pro Regis aeterni gloria venerari, Serenitatem Regiam rogamus & hortamur attente, quatenus eundem Electum & praefatam Ecclesiam Lundens. sua cura commissam habens pro Apostolica sedis & nostra reuerentia propensus commendatos ipsos benigni fauoris auxilio prosequaris: ita quod idem Electus tuae Celsitudinis fulius auxilio, in commissio sibi pastoralis officio possit Deo propitio prosperari, ac tibi inde ad Deo perennis vitae primum, & a nobis congrua proueniat actio gratiarum. Datum Aucion. 14. Calen. Martij anno secundo.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO MAGNO SVECIAE GOTTHORVM, ATQVE
Noruegiae Regi illustri.

Anno 1338.

SICVT vota Principum in his qua possunt absque cuiuspiam prauidicio de mera sedis Apostolica liberalitate procedere libenter ad gratiam exauditionis admittimus, sic cum prospicimus ex rationabilium consideratione causari in talibus posse versari dispendia aliorum, illa differimus exaudire. Sane petitionis pro Regia parte tua nobis exhibitae series continebat, quoa quondam Christophoro tunc in Regno Daciae dominante suis demeritis exigentibus de Regno ipso violenter eiectione, maior & sanior pars Prelatorum, Cleri, Magnatum & personarum Nobilium Terra Skania dicti Regni Daciae, nec non Communitas eiusdem te in eorum Regem ac Dominum effectantes tibi iuramentum fidelitatis & homagij, tanquam eorum vero Regi & Domino praestiterunt, ac demum eisdem ob defensionis defectum in corporibus & rebus eorum nimium prae-grauatis, tu pietate motus & pro dicta Terra Scaniae memorati Regni Daciae ad statum prosperum reducenda quibusdam Tyrannis qui Regnum ipsam eiusque munitiones & Castrum tunc de facto occupata tenebant, ut ab inde recederet, ac Clerum & populum dictae Terrae quos opprimebant immaniter, in pace dimitterent, triginta sex millia Marcuum argenti puri sicut asseris persoluisi, volens propter hoc guerrarum malis & dispendijs tuorum, eidemque Terrae damnis & violentijs obuiare. Quare nobis humiliter supplicasti, quod cum dicta Terra Scaniae dictorum Regnorum tuorum sit ianua & clausura: per quam si ad manus alienas perueniret tibi tuisque subditis & posteris guerra & mala innumera possent proculdubio suscitari, tibi tuisque posteris & heredibus dictam Terram Scaniae per te tuosque posteros & heredes retinendam perpetuo & etiam possidendam confirmare auctoritate Apostolica dignaremur, adiciens in supplicatione praedicta tibi concedi, ut si quas alias terras dicti Regni Daciae acquirere adhuc possis in parte vel in toto de manibus Tyrannorum praedictorum, quod hoc facere valeas de nostra licentia specialis, maxime cum dictum Regnum Daciae in nullo unquam fuerit subiectum imperio, sed Romana Ecclesiae censuale, quem censum paratus esses solvere, secundum quod deuoti & fideles Reges dicti Regni haecenus exolebant. Licet igitur fili ob merita tua deuotionis eximia, quam erga dictam Romanam Ecclesiam te habuisse & habere percepimus, libenter tuam & heredum tuorum personas, quantum cum Deo & iustitia possumus fauoribus Apostolicis prosequarur. Quia tamen iustitiae debitum exigit, & mos obseruationis antiquae praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum introduxit, ut ad confirmationem huiusmodi bonorum temporalium nisi citatus

tatis omnibus qui fuerunt euocandi, & inquisita prius de statu talium bonorum diligentius veritate quomodo libet procedatur ad confirmationem huiusmodi & concessionem aliorum que ut pramittitur postulabas non duximus, sicut nec iuste potuimus procedendum. Regalem tamen Excellentiam tuam illa beneuolentia speciali prosequimur, ut libenter in aliis tibi gratis & utilibus placeamus. Caterum ex abundanti licet fore necessarium non credamus, circumspeditionem Regiam hortamur, requirimus & rogamus attente, quatenus ab inuoluntariis eiusdem Ecclesie societate, confederatione & colligatione omnino debeas abstinere, nullum eis quamdiu in eiusdem Ecclesie inuoluntate perstiterunt prebendo auxilium, consilium vel fauorem, ne quod absit, propter hoc illis, quibus dicti inuoluntarij cum eorum participibus inuoluti sunt penis atque sententijs propter eorum participium similibus inuoluaris, sed illorum conuersationem & societatem euigans, sic te reddas eidem Romana Ecclesie Matri tue in omnibus deuotum, placidum, & acceptum, quod nos & eadem Ecclesia ad tuos profectus & commoda rationabiliter inuitemur. Datum Auenion. decimo Calendas Februarij anno quinto.

INNOCENTIUS PAPA VI. CHARISSI-
MÆ IN CHRISTO FILIÆ BLANCHÆ

Suetiæ & Noruegiæ Illustrissimæ
lute &c.

DILECTO filio Ioanne Pilaberti Decano Ecclesie Tarbaten. Apostolica sedis Nuntio, Anno 1355.
cum adhuc esset in partibus ipsis, & postquam ad Apostolicam sedem uenit insinuante ac referente percepimus, quod tu habens ad nos & Romanam Ecclesiam, cui auctore Domino presidemus, sincera ac salutaris deuotionis affectum ipsi Nuntio nostro & ipsius Ecclesie negotia prosequenti in huiusmodi eorumdem negotiorum promotione fauorabili efficacibus & opportunis auxilijs assististi. Super quo magnitudinem tuam uerbis gratiarum actionibus prosequentes, fauores tibi Apostolicos in opportunitatibus tuis gratanter offerimus, & vota tua quantum cum Deo poterimus ipso propitio patris affectibus prosequemur. Caterum quia grauibus & uehementibus necessitatibus, quas Charissimo in Christo filio nostro Magno Regi Sueciæ & Noruegiæ illustri viro per alias nostras litteras compendiose describimus importabiliter premimur, & proinde presatum Regem affectuose precamur, ut de pecunijs, quas ad nos & dictam Ecclesiam pertinentes ab eodem Nuntio recepit, & quas restitutum se promisit, ut nosti, nobis & eidem Ecclesie satisfacere non postponat; Nos assistentia tua uile presidium super hoc inuocantes Serenitatem tuam attente rogamus, quatenus eundem Regem quod nostris in hac parte precibus annuat, & effectualiter condescendat, pro nostra & Apostolica sedis reuerentia des operam efficacem: ipsumque Nuntium ad partes ipsas de mandato nostro presencialiter reuertentem benigne suscipias commendatum, sibi que auxilia, fauores, & presidia consueta impendas in fauorabili promotione huiusmodi agendorum: Indubie tenens quod deuotionem tuam huiusmodi Apostolicis fauoribus prosecutionibus compensabimus dante Deo. Datum Auenion. sexto Calendas Martij anno quarto.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO
MAGNO REGIS SUECIÆ ET NORUE-
giæ illustri salutem &c.

IN principibus Principibus in christi que personis illa uigere cernitur excellentia ueritatis, qua qua Anno 1358.
per eos digne promittuntur, praefinitis terminis compleantur. Scie dilecti filij Henricus Biscop Canonicus Lubiten. noster & sedis Apostolica Capellanus, & Ioannes Pilaberti in partibus tibi fili subiectis Apostolicus Nuntius deputatus munificentias & tuitiones Regias, quibus ipsos & familiares suos ac eorum bona manutenueras retulerunt lata facie nuper nobis quas in Domino commendamus, nec non quindecim Millium florenorum auri summam uel circiter de qua partem
R 3 aliquam

aliquam persoluisi, quam pro tuis supportandis oneribus ab eodem Nuntio de pecunijs Apostolicis diceris recepisse, & ratione retardata solutionis, quod displicenter audimus Apostolicas sententias incurrisse, ac pro tali initiatu publice perstitisse. Quas siquidem Filii sententias propter honorificentiam solij tui Regiam ad quam afficimur non indigne suspendi iussimus: per Henricum primum hinc ad Resurrectionis Dominicæ instans Festum de gratia speciali, quam tibi fili & tuus vberiore libentius fecissemus, nisi pensarum sarcina per immensa pro guerris mundi notis Terrarum Ecclesie Sanctæ Dei nos nimium coarctaret. Quocirca Se enit item tuam rogamus attentius & hortamur, quatenus ob diuinam Dei & Apostolicæ sedis reuerentiam, tuique solij Regij venustatem restam pecunia persolucndam in termino stabilito iubeas indefesse manualiter assignari taliter quod resta huiusmodi suo termino teneat locum suum, sedesque prefata ad erogandas ampliores munificentias inuiterur, super quibus & dependentibus ex eisdem sepe fato Henrico velut ab ore nostro prolatis velis fidem indubiam adhibere. Datum apud Villam nouam Auinion. Diocef. XV. Calendas Iunij Anno octauo.

GREGORIUS PAPA XI. CHARISSIMO
IN CHRISTO FILIO ALBERTO REGI

Suetiæ illustri salutem &c.

Anno 1372.

AD illa te fili libenter inducimus & precibus exhortamur qua honestatem sapiunt, teque in conspectu Regis aterni reddere valeant gratiosum. Sane nuper ad nostrum peruenit auditum, quod tu ex nonnullorum Pralatorum partium earundem inductione quod collectores fructuum Camera nostre Apostolicæ fructus, proventus, & debita ipsius Camera nostre Apostolicæ in Terris tui ditioni subiectis recuperare valeant non permittis. Ideo Serenitatem tuam attente rogamus, quatenus pro nostra & Apostolicæ sedis reuerentia Venerabilem Fratrem nostrum Henricum Episcopum Slesuicen. in partibus illis Apostolicæ sedis Nuncium & alias quasunque gentes dictæ Camera huiusmodi fructus, proventus & debita dictæ Camera recipere & recuperare, & per huiusmodi Terras tuas libere incedere, & ipsi de saluo conductu si expediat provide, ac eos habere recommendatos sinceritas tua velit. In præmissis taliter te habendo quod Omnipotentem tibi Dominum constituas propitium, nosque deuotionem tuam non immerito commendare possimus. Datum Auenione tertio Idus Martij anno secundo.

NOTI